Karl Atzert

De Cicerone Interprete

Graecorum.

DE CICERONE INTERPRETE GRAECORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

CONSRIPSIT

Karl (CAROLUS) ATZERT
FRANCOFURTENSIS.

GOTTINGAE
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA HUTHIANA
MCMVIII.

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM PHILOS.
RETTULERUNT F. LEO ET E. SCHWARTZ.

EXAMEN RIGOROSUM HABITUM EST DIE
XIX. MENS. FEBR. MCMVIII.

In hoc opusculo disputabimus primum de Ciceronis Arateis, deinde de Timaeo, tum de eis locis, quos Cicero ex Homero tragicisque poetis translatos philosophicis operibus immiscuit.

I. Caput: De Arateis.

De Arateis, qui adhuc scripserunt, Eduardus Moll »Ciceros Aratea, eine Studie über den Wert des Übersetzens aus Fremdsprachen« Argentor. 1890, Maybaum: »De Cicerone et Germanico Arati interpretibus« Rostochii 1885 suam sibi uterque laudem pepererunt. Quibus duobus adiungendus est tertius Winterfeldius Berolinensis, cuius commentationem praemio ornatam mihi quidem inspicere non licuit. Exstat enim Lipsiae Fockii in aedibus manuscriptum, quod inscribitur »M. Tulli Ciceronis Arateorum quae supersunt, Germanici Caesaris Aratea, Avieni metaphrasis Arateorum cum Graecis Arati carminibus ita inter se comparantur, ut quid cuique versioni proprium sit inde cognoscatur«. Berol. 1893. Maybaumium denique, qui primus Ciceronis vitia observavit, secutus est Grollmus »De Cicerone poeta« Regim. 1887 pag. 14 sq. Equidem nec quaeram, quam bene nec quam recte Cicero verterit Aratum, sed qua arte quibusque usus auxiliis. Etenim Maybaumius olim in Ciceronis versibus Attali vestigia detexit, ex quibus suspicatus est interpretem ad versionem advocasse doctorum virorum commentarios. Argumenta, quae Maybaumius attulit, mihi non sufficiunt. Neque enim Attali tantum, verum etiam Hipparchi exstant vestigia in Ciceronis versibus. Velut vituperatur poeta ab Hipparcho in eis, quae v. 672 dixit de sinistra Nixi manu his verbis »*ἡ ἀριστερὰ χείρ τοῦ Ἐγγόνασιν ταῖς Χηλαῖς συνανατέλλει καὶ οὐ τῶι Σκορπίωι*« pag. 162 Man. Cicero v. 459 sq. de eadem re omnino tacet. Videtur controversiam legisse in scholio nobis non servato. Quia dubiam rem esse putabat, vide ne eam consulto omiserit. — De Orionis occasu exstat praeclara Hipparchi disputatio (pag. 66 Man.) contra Attalum, qui falso intellexisse dicitur Arati verba »*ἀκρόθι νυκτός*« 308 et »*ἠῶθι πρό*« 309. Illud significare vult Hipparchus pag. 68 »*περὶ τὰ ἔσχατα*

τῆς νυκτός«. Idem docet scholiasta, qui adnotat pag. 400_{10} »*ἐπὶ τῆς ἐσχάτης νυκτός*«. Habes id, quod vertit Cicero v. 82 »Extrema prope nocte«. Legit igitur Cicero doctorum virorum enarrationes in scholiis. Quorum adiumento quoad usus sit adulescentulus — sunt enim carmina illa Aratea conversa a Cicerone »admodum adulescentulo« Nat. deor. II 104 — luculentis mihi liceat probare testimoniis.

Incipit Aratus »*ἐκ Διός ἀρχώμεσθα*«, *ἐπειδή* — sic adnotat scholiasta — *καὶ τῶν Μουσῶν ἀρχηγέτης αὐτός ἐστιν*. Itaque Cicero »A Iove Musarum primordia«.

Stellas fixas alias alibi constitutas in caelo volvi poeta exponit v. 20 cum alia dicens tum haec »*οὐρανῷι ἕλκονται*«. Cicero legit adscriptum »*σὺν τῷι οὐρανῷι φέρονται*« 340_4; vertit enim »cum caeloque simulferuntur« Frgm. III Baehr.

V. 24 agitur de polis »*καί μιν πειραίνουσι δύω πόλοι ἀμφοτέρωθεν*«; scholiasta explicat pag. 342_{22} »*τοῦ ἄξονος τὰ πέρατα πόλοι εἰσὶν εἰρημένοι*«. Tale quid legisse videtur interpres: extremusque ... vertex dicitur esse polus«. De trigoni signo legimus apud Aratum 235 sq. *Δελτωτόν πλευρῇισιν ἰσαιομένῃισιν ἐοικός ἀμφοτέρῃσ᾽, ἡδ᾽ οὔτι τόσῃ;* Cicero cum vertit v. 8 »At non tertia pars lateris — namque est minor illis« ob oculos habuit schol. pag. 380_{21} »*τὴν δὲ κάτωθεν ὑποτείνουσαν βραχυτέραν ἐκείνων*«.

v. 5 »Deltoton dicere Grai, simili quia forma littera claret« merum scholium vertit »*τῷι γὰρ Δ στοιχείωι εἴκασται*«.

Persei dextra, ut dicit Aratus v. 251_{19} *ἐπὶ κλισμόν τετάνυσται Πενθερίου δίφροιο*. Scholiasta adscripsit pag. 384_{20} *ἡ τοῦ Περσέως δεξιὰ πρὸς τὴν τῆς Κασσιεπείας καθέδραν ἐκτέταται*, Cicero v. 23 'ad sedes Cassiepiae'. Idem Perseus *ἴχνια μηκύνει κεκονιμένος ἐν Διὶ πατρί* 253«; Cicero idem adscriptum legit, quod nos pag. 385_{19}, scilicet *τὸ ἐν Διί· ἐν τῷι οὐρανῷι* = »Pedes . . . in caelum . . . portat« 26; plane eiusdem generis est Arati versus 275 = Cic. v. 47.

Poeta ubi exponit navigantium pericula, queritur quod *ἤδη πάντ᾽ ἐνιαυτόν ὑπὸ σπείρῃισι θάλασσα πορφύρει* (v. 295). Quae verba apud interpretem sic se habent (v. 69). »Sed tamen anni iam labuntur tempore toto«. Patet consensus cum scholiasta pag. 398_{21} *ἐν παντὶ καιρῷι τοῦ ἐνιαυτοῦ* . . . Statim post monet Aratus ne altum petamus *Τόξον ὅτ᾽ ἠέλιος καίῃι καὶ ῥύτορα Τόξου·* Immo *ἑσπέριος κατάγοιο, πεποιθὼς οὐκέτι νυκτί* 302. His versibus respondent apud Ciceronem vss. 72 sq. »Atque etiam supero navi pelagoque vacato Mense Sagittipotens Solis cum sustinet orbem Nam iam tum nimis exiguo lux tempore praesto est«. Cicero non vertit Aratum sed Arati interpretem. Sic enim ille: *φησί τοὺς πλέοντας ἡσυχάζειν καὶ μὴ*

πελαγίζειν οὐ μόνον τῆι χειμερινῆι τροπῆι ἀλλὰ καὶ τῶι προτέρωι μηνί, ἐν ὧι ὁ ἥλιος διέρχεται Τοξότην 399_{26} μακρὰ γὰρ ἤδη καὶ βραδέως ἡ ἡμέρα τοῖς κινδυνεύουσιν ἐπιφαίνεται pag. 400_{4}. De Sagitta dicit Aratus v. 311 ἔστι δέ τοι προτέρωι βεβλημένος ἄλλος Ὀιστός αὐτός, ἄτερ τόξου. Exstant scholia: pag. 401_{16} »αὐτός« ἀντὶ τοῦ »μόνος« et pag. 401_{19} . . . ἁπλῶς κείμενος ἄνευ τόξου καὶ τοξεύσαντος«. Cic. v. 84 »hic missore vacans . . . iacet una S.« Delphinus dicitur »οὐ μάλα πολλός« v. 316 h. e. ut ait scholiasta οὐ σφόδρα λαμπρός Cicero »haud nimio lustratus nitore« 92. Orion σφόδρα ἐκτεταμένος ἐστίν, ut idem scholiasta docet pag. 406_{11}; vides cur Cicero Orionem dixerit esse »late dispersum« v. 105. Sirii nomen poeta deductum esse vult a verbo σειριάει 331, quod explicatur a scholiasta »φῶς ἀφίησι«; item Cicero v. 112 »micans iacitur mortalibus ardor«. Inter Pistricem et Gubernaculum stellae sparsae sunt, quibus »neque nomen Nec formam veteres statuisse videntur« 158 = νώνυμοι· οὐ γὰρ τοίγε τετυγμένου εἰδώλοιο βεβλέαται μελέεσσιν ἐοικότες« 371; schol. 414_{10} ὅτι εἰδωλοποίησαν οἱ παλαιοί, οὗτοι (Cic. 158 his) μέντοι οὐκ εἰδωλοποιήθησαν. Australis Piscis »ἐς Κῆτος τετραμμένος αἰωρεῖται« 387; τὸ δὲ αἰωρεῖται ἤτοι ἁπλῶς φέρεται, ἢ τὸ κυριώτερον, ἐπειδήπερ ἐπὶ νότον ἐστὶ καὶ . . . ἔχει τὴν ὄψιν ὡς ἐπὶ τὸ Κῆτος« 416_{21}; unde Cicero v. 168 »versus ad Austrum Pistricem observans«. De Centauro Ar. v. 431 εἰ δέ τοι ἑσπερίης μὲν ἁλὸς Κενταύρου ἀπείη ὦμος«; schol. pag. 423_{3} ἐὰν μεσουρανήσηι; Cicero 203 »sin umeros medio in caelo C. habebit«. De magnis annis Ar. v. 458 μακροὶ δέ σφεων . εἰσὶν ἑλισσομένων ἐνιαυτοί« Cicero 232 »hae faciunt magnos longinqui temporis annos« legit enim adnotationem pag. 429_{6} μακροί . . . οἱ ἐνιαυτοί ἔσονται καὶ σφόδρα πολὺς ὁ χρόνος«; addas adnotationem eiusdem ad Ar. v. 459, ex qua discimus magnum annum esse ὅταν ἀφ᾽ οὗ ἄν τις ἄρξηται σημείου φέρεσθαι ἐπὶ τὸ αὐτὸ πάλιν ἔλθηι pag. 429_{20}; haud aliter Cicero v. 233 »cum redeunt ad idem . . . signum« De planetis poeta v. 460: οὐδ᾽ ἔτι θαρσαλέος κείνων ἐγώ, id quod significat »οὐ δυνατόν εἰπεῖν τοὺς κύκλους« schol. 430_{10} = nequeo tortos evolvere cursus«.

Circuitum orbis signiferi describit Ar. v. 537 sqq. his verbis: ὠκεανοῖο τόσον παραμείβεται ὕδωρ, ὅσσον ἀπ᾽ Αἰγοκερῆος ἀνερχομένοιο μάλιστα Καρκίνον εἰσανιόντα κυλίνδεται. ὅσσον ἁπάντη ἀντέλλων ἐπέχει, τόσσον γε μὲν ἄλλοθι δύνων. Scholiasta sic interpretatur: pag. 444_{8} ὅσον ἔχει διάστημα ἀπὸ Αἰγοκέρωτος . . . ὑπὲρ γῆν, τοσοῦτον πάλιν . . . ὑπὸ γῆν διηνεκῶς τε ἴσον γίνεται τὸ ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα τμῆμα τῶι ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα. Cicero verbum fere ex verbo reddidit vs. 309 sqq. »Sed tantum supera terras . . . tenet . . . Curri-

culum . . . Quanto est divisus Cancer spatio a Capricorno. At subter terras spatium par esse necesse est. — Arati narratiunculam de Orione (637 sqq.) Cicero valde amplificavit. Exstant autem vestigia satis, ut puto, aperta, eum aut idem, aut simile certe scholium legisse quod nos. Etenim Orion ἄριστος ὢν κυνηγός (Cic. 431 venantem) . . . Ἄρτεμιν . . . ἐβιάζετο (Cic. 419 manibus violasse Dianam dicitur) ἡ δὲ κολώνην τῆς νήσου ἐποίησε διαρραγῆναι (Cic. 427 insula discessit) καὶ ἀναδοθῆναι τὸν σκορπίον, ὑφ' οὗ ὁ Ὠρίων πληγεὶς ἀπώλετο = Cic. 429 existit Scorpius . . . hic valido perculit ictu.

Prognosticorum fragmentis licet rarissimis, comprobari id, quod quaerimus, ostendam.

Aratus v. 909 σῆμα δέ τοι ἀνέμοιο καὶ οἰδαίνουσα θάλασσα; schol. pag. 509 3 ὅταν ἐξαίφνης ἀνοιδαίνῃ ἡ θάλασσα. Cicero frg. III Inflatum mare cum subito . . . tumescit« Ar. 912 καὶ δ' ἄν, ἐπὶ ξηρὴν ὅτ' ἐρωδιός οὐ κατὰ κόσμον ἐξ ἁλὸς ἔρχηται schol. pag. 509 30 φεύγει ὁ ἐρ. τὴν θάλασσαν Cicero »fugiens e gurgite ponti« Ar. 954: καὶ βόες ἤδη τοι πάρος ὕδατος ἐνδίοιο οὐρανὸν εἰσανιδόντες ἀπ' αἰθέρος ὀσφρήσαντο« schol. 519 29 ἕλκοντες τὸν ἀέρα Cicero »boves . . . naribus umiferam duxere ex aere sucum«.

Subsisto; sufficiunt enim, quae congessimus exempla. Condonabimus — opinor — adulescentulo mediocriter doctrina instructo, quod notis doctorum virorum adhibitis animum advocavit ad rerum caelestium cognitionem. Neque tamen contentus ille fuit partibus interpretis, imitator voluit haberi. Quapropter non fruges tantum, verum etiam flores ex aliorum hortis collegit, quibus suos ornaret versiculos. Conferas e. g. Arati v. 360 de Eridano cum Cic. 145 Eridanum . . . magniscum viribus amnem, Quem lacrimis maestae Phaetontis saepe sorores Sparserunt« schol. »ὅτι αἱ Ἡλιάδες . . . ὀδυρόμεναι τὸν ἀδελφόν etc. Cassiepeia »οὐκ ἄρ' ἔμελλεν Δωρίδι καὶ Πανόπῃ μεγάλων ἄτερ ἰσώσασθαι« schol. οὐκ ἔμελλεν περὶ κάλλους ἐναντιωθῆναι ταῖς Νηρῄσιν ἄνευ . . . ζημιῶν. Cic. 446 »Hanc illi tribuunt poenam Nereides almae, Cum quibus ut perhibent ausast contendere forma.

Atque talia quidem plura exstant. Nolo addere exempla, quia res ipsa satis, ut spero, aperta est. Nec non patet, qua ratione vertendi usus sit: etenim cum singulis versibus perlectis ad enarrationes, quas quidem adscriptas invenit, accessisset, ex memoria versuum reddidit argumentum, non verbum ex verbo, ut fidi solent interpretes. Cognoscimus igitur unde magna versionis libertas facta sit, quam uno saltem exemplo illustrare liceat. Respondent inter se Cic. vers. 189—205 et Ar. v. 408—430. Nox dicitur »commiserans hominum metuendos undique casus«. Quae verba, utrum respiciant ad v. 409 κλαίουσα πόνον ἀνθρώπων« an ad v. 412 ἐποικτείρουσα πολυρροθίους ἀνθρώπους« in

dubio est. Deinde verbis quae sunt »signa dedit« 190 spectasse videtur interpres et ad »πιφαύσκει σήματα« et ad »σῆμα ἔθηκεν« 409. Quod statim pergit »Nam cum fulgentem cernes sine nubibus atris Aram« ob oculos habuit notam ὅταν . . . φανῆι τὸ Θυτήριον καθαρὸν καὶ ἀνέφελον pag. 421_1. Nam longe aliter Aratus monet »μή μοι . . . εὔχεο . . . κεῖνο φανήμεναι ἄστρον«. Versus qui sequitur »A summa parte obscura caligine tectam« pertinet ad id quod Graecus poeta dicit v. 415/16 ὕψι δὲ μᾶλλον κυμαίνοντι νέφει πεπιεσμένον. Per igitur incommode accidit, ut de dubia lectione versus 413 ex Cicerone nihil discatur. Atqui etiam in scholiis legitur controversia, sitne »εἰλυμένον« scribendum an »εἰλυμένωι«. Suspicor, interpretem et ipsum variam scripturam vidisse ideoque accuratam totius loci versionem vitasse. Accedit, quod alterum vocabulum nullo modo expressit »πολυρροθίους« 412. Varia autem est lectio »παλιρροθίους«. Vereor ne adulescentulus in angustiis fuerit, utram lectionem probaret, unde factum, ut neutram expresserit. Cetera, ut sunt a Cicerone conformata, fere ad verbum consentiunt cum schol. 422_{22} in his: »Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem Coeperit et subitis auris diduxerit Ara . . .« εἰ μὴ τοῦ βορέου ἡ δύναμις . . . διασκορπίσηι τὰ νέφη; πνεύσας γὰρ ὁ βορέας ἀεὶ σκεδαννύει τὰ νέφη. Sed hanc quaestionem nunc missam faciamus. Sufficit nobis ostendisse, Ciceronem, ut melius intellegeret Arati materiam, scholia et inspexisse et transtulisse. Arati autem materia quomodo comparata est? Motu caret, — ut ait Quintilianus X 1, 55, »ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, nulla cuiusquam sit oratio«. Tamen adulescentulo, quippe qui vellet et ingenium excolere et exercere linguae facultatem, campus patebat. Etenim iterum iterumque in descriptione rerum caelestium nominanda erant stellarum lumina, signorum ortus, occasus, caeli regiones, alia id genus. Varietas igitur petenda erat interpreti in eisdem notionibus exprimendis. Quam varietatem qua arte assecutus sit Cicero, restat, ut quaeramus.

Proinde conferas velim Arati versus 596—601 cum Cicerone 381—385, quibus agitur de eis stellis, quae virgine exoriente occidant. Unum Graecum verbum q. e. δύνειν sex latinis expressit Romanus: »Cedit . . . mergitur unda . . . obtegitur . . . recedit . . . delabitur . . . latescit«. Huic loco adiungas Ar. 629—633, ubi iterum idem verbum q. e. δύνειν legitur bis positum. Contra apud Ciceronem v. 413—17: »occidit, . . . labitur, . . . se condit . . . reclinat«. Quibus vocabulis cave putes exhaustos Ciceronis thesauros. Immo Arati versus 572 »δύνει μὲν Στεφανός, δύνει δὲ κατὰ ῥάχιν Ἰχθῦς« a Cicerone his duobus expressus est »cedit delapsa Corona, et loca convisit cauda tenus infera Piscis. 351. Nec desunt, quae addantur, velut 462—66: cedit

. . . abditur . . . obit . . . cadunt lapsu . . . abit[1]) infera in loca. Cui loco antecedit quasi catalogus synonymorum in una »oriendi« notione: cf. 459 sq. »Inde Sagittipotens superas cum visere luces instituit, emergit Nixi caput et simul effert Sese clara Fides et promit pectora Cepheus« (Wölffl Arch. XII pag. 537).

Non minore varietate sunt compositi vss. 453—456 prolabitur . . . profert . . . exoritur, vel 448—450 exorta Coronae pars . . . panditur Hydra . . . eripit se Centaurus, vel 386—391, alii.

Nihil hic dicam de eis vocabulis, quae ad cursum siderum lucemque pertinent: mira enim est copia. Hoc tantum addo Ciceronem non modo in eis notionibus, quas attuli, sed omnino per totum carmen operam dedisse, ut eandem rem alio semper modo redderet.

Itaque v. 170	dixit »expertes nominis«	v. 7	simili spatio
„ 182	»sine nomine«	„ 296	aequo spatio
„ 400	»vacans nomine«	„ 316	pari spatio (cf. adn. 2).

Multa exstant, quae eiusdem generis sint: velut sollemnis clausula per spondiacum *ἐστήρικται* Scimus spondiacos Ciceroni nequaquam in deliciis fuisse (Norden Aen. VI pag. 434). Quae cum ita sint, adeo non imitatur interpres Graecum poetam, ut ter repetitam illam clausulam aliter alio versu verterit cf. Ar. 230 *ὀλίγον γὰρ ὑπ᾽ αὐτήν ἐστήρικται* = e quibus hunc subter possis cognoscere fultum v. 1. Ar. 274 (*Λύρη*) *δὲ μεσηγύ Ὀρνιθέης κεφαλῆς καὶ γούνατος ἐστήρικται* = Inter flexum genus et caput Alitis haesit 46. Ar. 351 *καὶ οἱ πηδάλιον κεχαλασμένον ἐστήρικται*: Gubernaculum pendens a puppe volante 137 (Maybaum pag. 7). Id igitur vertendo assequi vult adulescens, ut discat copiosus esse. Quapropter nusquam uno verbo contentus est: inspicias Arati vs. 54—57, habes unum verbum »*ἐπιλάμπεται*«, quid contra apud Ciceronem? »Huic non una modo . . . stella relucet, Verum tempora sunt duplici fulgore notata, E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant, Atqne uno mentum . . . sidere lucet«. Quo artificio quam pueriliter abusus sit, appareat ex versiculis de Alite 49 sq. quibus vertit Ar. v. 276 »*ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἠερόεις, τὰ δέ οἱ ἔπι τετρήχυνται ἀστράσιν οὔτι λίην μεγάλοις, ἀτὰρ οὐ μὲν ἀφαυροῖς*«. »Altera pars huic obscura est et luminis expers Altera nec parvis nec claris lucibus ardet«. His duobus debebat contentus esse; tamen addit »Sed mediocre iacit quatiens e corpore lumen« quid aliud spectans, nisi ut fulgendi notionem quam maxime posset variaret? Adde sis versus

---

1) Sic enim scripsit Cicero; »obire in«, ut traditum, nusquam dicitur. Idem error librariorum in Sen. ep. 21 § 5 ubi legas »in silentium abire« cf. ep. 94, 17 abibunt in vanum verba. cf. German. v. 599.

2) cf. Tim. 31 B *χωρισθὲν πυρός* = »igni vacuum« pag. 998_{32}, *ἄνευ στερεοῦ* = »quod careat solido« pag. 999_{1}, *ἄνευ γῆς* = »terrae expers« pag. 999_{2}.

39 sq. »propterea quod et aestatis primordia clarat, Et post hiberni praepandens temporis ortus = θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο. 266. Maluit ergo esse amplificatur quam brevitatis imitator. Itaque ubi Arato sufficit loqui de rerum similitudine velut v. 433 ἀτὰρ μετόπισθεν ἐοικότα σήματα φαίνοι, Cicero conatur similem rem variis coloribus depingere: »Si . . . Centaurus . . . caerulea contectus nube feretur Atque Aram tenui caligans vestiet umbra« 204.

Tot locis allatis de re dubitari nequit. Verba addit interpres, quibus iam tunc abundat. Quaerendum autem, num eadem consuetudo nobis aliunde nota sit. En, aspice versus Pacuvii celeberrimos de Fortuna (Ribb. I pag. 124) »Fortunam insanam esse . . . perhibent philosophi. Saxoque instare . . . praedicant volubili. Quia . . . autumant. Insanam esse aiunt. Caecam esse iterant. Sunt autem, qui . . . negant. Sed . . . autumant«. Habes idem atque in Cic. versibus: »Quos nostri septem vocitare triones . . . altera . . . vocatur . . . altera . . . dicitur frgg. V et VI. Baehr. Nec tantum versificatoris verum etiam oratoris est ista verborum copia. Velut in oratione pro Archia, quae eo genere dicendi est habita »quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat« (§ 3), de Homero legimus »Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant Salaminii repetunt, Smyrnaei suum esse confirmant. Inprimis autem hoc dictionis genere usus est in eis orationibus, quas habuit adulescens, velut pro Quinctio § 10 non ius par, non agendi potestas eadem, non magistratus aequus, vel § 47 cum . . . video . . . cum considero . . . cum oculos animumque rettuli« [1]). Hoc non miramur. Ipse enim Cicero multis annis post confitetur, qua fuerit in illis orationibus redundantia et verborum et sententiarum (or. c. XXX). Profecta autem est illa »redundantia iuvenilis« ex scholis, ubi pueri synonyma didicerunt teste Quintiliano X 1 § 6 sq. »verba . . . . . debent esse in conspectu, ut facilis ex his optimorum sit electio, et quae idem significarent solitos scio ediscere, quo facilius et occurreret unum ex pluribus et cum essent usi aliquo, si breve intra spatium rursus desideraretur, effugiendae repetitionis gratia sumerent aliud, quo idem intellegi posset . . . .« Accedit, quod a Frontone »synonyma colligere« in »lucrativis studiorum solaciis« numeratur (pag. 151_3 Nab.). Exstabant igitur synonymorum collectiones, qualis una ipsi Ciceroni vindicabatur (Orelli[2] IV 1063), quibus utebantur adulescentes, ut discerent **eandem rem aliis verbis pronuntiare** [2]). Num Ciceroni talis collectio prae manu fuerit, dubito. Credimus enim Frontoni, »praesto fuisse Ciceroni non quaerenti verba, quae vix aliis quaerentibus subveniant« (pag. 63 N.).

1) Hellmuth Acta Erlang. I pag. 103 sq.

2) cf. pag. 29 huius opusculi.

Dum interpres, ut vertendo fructus capiat, synonyma admittit, facere non potuit, quin modo simplici uteretur verbo modo composito. Ut afferam exempla Ar. v. 439 δεξιτερὴν τανύοντι vertit v. 212 dextram porgens; Ar. v. 251 καὶ οἱ δεξιτερὴ τετάνυσται »dextram intendit«. Contra »Κηφεὺς ἐκ βορέω μεγάλῃ ἀνὰ χειρὶ κελεύει« v. 630, »non cessat tendere (schol. ἐκτείνει γὰρ τὴν χεῖρα) palmas« 415. — Venti dicuntur sive »flamine mulcere« (117), sive »flatu permulcere« (184); Ales est »clinata magis Aquilonis ad auras« (86 = ἀσσότερον βορέαο 313), Aries autem »flamen ad Austri inclinatior« 10 = νοτιώτερος 238. Taurus, quia »succidit in curvo claudus pede« Manil. 259, apud Ciceronem et »genu flexo« (290) est et »inflexoque genu« (330). Patet tamquam ad amussim hanc normam dicendi observatam esse ab interprete. Itaque Anquitenentis »supera duplices umeros adfixa videtur Stella micans« (Frgm. XIV), Arcturi »subter praecordia fixa videtur Stella micans« (Frgm. XVII), atque invicem Leonem »rutilo sequitur collucens corpore virgo« (322) »Ipsaque consequitur lucens vis magna Nepai« (324). Ut autem et »lucent« et »collucent«, et »relucent« (Frg. VIII) stellae, ita et »fulgent« et »luce refulgent« (108, 410). Quid? quod Sol signa »aeterno convestit lumine lustrans« (332) et quod Aquarius »vestivit lumine terras« 473 [1]).

Adde quod signa modo caligine sunt »tecta« (194) modo »nube contecta« (204), quod denique aliorum ortu modo »pelluntur« (467) modo »depelluntur« (469). —

Desino exempla congerere, quorum copia cuivis legenti appareat. Hoc tantum moneo, iure dixisse de Cicerone Frontonem, »eum genera verborum copiosissime uberrimeque tractasse, verba propria, translata, s i m p l i c i a, c o m p o s i t a« (pag. 63 Nab.).

Subsisto: accessimus enim ad Ciceronis Aratea tamquam ad artis eius incunabula, ut disceremus, ex quibus initiis ad »immortalis ingenii beatissimam ubertatem« (Quintil. X 1, 108) pervenerit. Condonamus adulescentulo, quod saepe, scholiis licet adhibitis, scriptorem parum intellexit. Nec facimus cum Balbo, quem »ita delectant« carmina Aratea, »ut multa ex eis memoria teneat (Nat. deor. II § 104). Immo verum esse nobis quidem persuasimus »plerumque ad orationem faciendam versus adiuvare« (Fronto pag. 54 Nab.). »Ideoque« — sic pergo cum Quintiliano X 5, 16 — mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiae lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit«. »Sensit enim — ut bene iudicat Melanchthon i n Eloquentiae encomio (pag. 42 Hartf.) sensit inquam Cicero facundiam versibus scribendis ali eamque ob causam et saepe scripsisse carmen et poetarum perstudiosum

1) Norden Aen. pag. 290.

fuisse constat«. Sed de hac re infra plura dicenda: hic priusquam ad cetera pergamus, liceat criticas aliquot adiungere quaestiones. Constat Lucretium Ciceronis carmina Aratea legisse. Neque enim casu debetur, quod inter se consentiunt Lucr. III v. 316 »quorum ego nunc nequeo caecas exponere causas« et Cic. v. 234 Quarum ego nunc nequeo tortos evolvere cursus (ex scholio »*οὐ δυνατόν ἐστι τοὺς κύκλους εἰπεῖν*« pag. 430_{10}).

Exstant similia, quae editores hucusque fugerunt, velut Lucr. II 767 (mare . . .) »vertitur in canos candenti marmore fluctus«. Rescribendum igitur Cic. v. 71 »Nec metuunt canos minitanti marmore fluctus«, ut traditur cod. D.

Sub Arcitenente »obscurae« iacent stellulae »sine nomine« Cic. 182. Ineptum igitur, quod eaedem statim antea (v. 179) describuntur his verbis: »Hic aliae volitant parvo cum lumine c l a r a e«. Maybaumius pag. 10 sq. coniecit »circa«, haud recte. Aratus dicit v. 399 *ὀ λ ί γ ο ι γε μὲν ἄλλοι νειόθι Τοξευτῆρος*. Facilis, ut puto, est emendatio: scripsit Cicero »Hic aliae volitant parvo cum lumine r a r a e« Plane eandem corruptelam codices traxerunt v. 323 ubi traditum est »c l a r o cum lumine Chelae«. Vitium vidit Maybaumius pag. 11, emendationem non invenit. Facile autem corrigemus librarios, si legamus »raro cum lumine Chelae«: sunt enim Chelae »*οὐδὲν ἀγαναί*« Ar. v. 90.

In descriptione orbis signiferi versu 327 legitur »Umidus inde loci collucet Aquarius orbe«. Dubitabant editores veram codicum scripturam recipere quae est »orbem«. Exstat enim alter locus, ex quo appareat, Ciceronem verbum q. e. »collucere« cum intransitivum tum transitivum usurpasse. Arateorum versibus 263 et 268 habes vim intransitivam. Contra Timaei pag. 1004_{26} Halm-Bait = § 31 »ut (sol) quam maxime caelum colluceret«, idem significat quod »collustraret«. Est enim accusativus casus »caelum«, non nominativus [1]) cf. Plato »*ἵνα φαίνοι ὁ ἥλιος εἰς οὐρανόν*« 39 B. Bis igitur in Ciceronis operibus »*μεταβατικῶς*« positum legimus verbum q. e. »collucere« et eis quidem operibus, quae conversa sunt ex Graeco sermone.

II. Caput: De Timaeo.

De Arateis haec hactenus. Valeat adulescens, accedat vir, qui splendida sua facundia pater patriae factus est. Sciebat summum se oratorem cum »philosophorum deo« (nat. deor. II 32) in ipsa philosophia non posse certare. Atqui Plato »longe omnium, quicumque scripserunt aut locuti sunt exstitit et suavitate et gravitate princeps«

1) Cf. Graec. Thesaur. s. v. *φαίνειν* pag. 586.

(orator 62). Quid? Talem orationem non imitaretur Cicero, quippe qui hanc perfectam philosophiam semper iudicaret, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere«? (Tuscul. I 7). Accedit, quod »philosophorum oratio neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses habet«, quod et ipse Cicero forensibus laboribus vacuus erat, cum verteret Platonem. Itaque iacente re publica, tacente forensi eloquentia confugit summus orator ad summi philosophi »placidam« illam »sedatamque eloquentiam«, quam aemularetur, ut siquid occupatus profuit civibus, prodesset etiam otiosus. Eloquentiam aemulaturus erat: an casu factum putabimus, quod inter tot locos a Cicerone translatos nobilissimae sunt orationes, altera morientis Socratis (Tuscul. I § 97) conferenda scilicet cum ea, quam Cyrus moriens habuit et quam vertit Tullius in libello de senectute (§ 79 sqq.), altera ex Platonis Timaeo. Neque enim est fragmentum Ciceronis qui dicitur Timaeus sed integra oratio ex Platonis Timaeo desumpta, ea ratione, ut insereretur dialogo. Haec prima quaestionis fundamenta iecit C. F. Hermann in celeberrima commentatione »de interpretatione Timaei Platonis dialogi a Cicerone relicta« Gotting. 1842, quae priore parte agit de consilio scriptoris in interpretatione facienda. Altera pars est de eis locis, quibus oratio emendari possit. Sexaginta fere annis post tandem exstitit, qui in stadium paene desertum regrederetur: C. Fries »Untersuchungen zu Ciceros Timaeus« Mus. Rhen. vol. LIV et LV. Qui qua diligentia disseruerit paucis liceat illustrare. In Mus. Rhen. 54 pag. 571 has nugas profert: »Die Form absolutissimus (Cic. Tim. pag. 998_{20}) begegnet uns in der **ganzen Latinität nur** noch beim Auctor ad Her. II 18, 28«. Atqui legitur idem superlativus ibidem IV 19, 26, Plin. epist. I 20 § 10, Tacit. dial. I 5 »Bassum . . . absolutissimum poetam«. — Mus. Rhen. 54 pag. 572 lin. 13 Friesius hoc nos docet »utensilia (975_{25}) auch **nur noch** bei Columella nachweisbar«: at exstat apud Livium, Plinium, Columellam, Tacitum. Idem Friesius adiecit indicem vocabulorum: pag. 583 adnotat s. v. *ἀπεργάζεσθαι* »orior« 1007_{23}. Nil ineptius! Inspiciamus ipsum locum: »*τὸ δὲ λοιπὸν ὑμεῖς ἀθανάτῳ θνητὸν προσυφαίνοντες ἀπεργάζεσθε ζῷα καὶ γεννᾶτε τροφήν τε διδόντες αὐξάνετε καὶ φθίνοντα πάλιν δέχεσθε*« 41 D: Cic. § 41 »vos autem ad id, quod erit immortale partem attexitote mortalem. Ita orientur animantes, quos et vivos alatis et consumptos sinu recipiatis«. Ergo Cicero non verbum ex verbo vertit, sed sententiam exprimit ita, ut pro causativa significatione, quae latet sub duobus verbis *ἀπεργάζεσθε καὶ γεννᾶτε* »efficite et procreate« = »facite ut oriantur« statim ipsam oriendi notionem substituat. Miror profecto Friesium non adnotasse »*ἀπεργάζομαι* 34 A = libero« — — — vertit enim Cicero *ἀπλανές ἀπειρ-*

γάσατο »ab[1]) omni erratione liberavit« 1001₁. Sed mittamus iocos in seriis rebus. S. v. *ζῶιον* Friesius pag. 585 affert »animatus« pag. 1007₂₃. Frustra quaeras; neque enim usquam legitur in Ciceronis Timaeo forma q. e. »animatus«: Thesaurus calami vel operarum lapsu exhibet s. v. pag. 87 »Cic. in Timaeo I 19« immo Tuscul. I 19 loco satis dubio! Denique, ut hoc quoque addam Cicero, si Friesio credas, s. v. *νοητός* (pag. 588) vertit »ratione et intellegentia« 998₂₄, id quod equidem non invenio. Desino vitia corrigere: ad id potius tendo, quod mihi est propositum. Atque primum quidem quosdam locos tractabimus, quibus discrepat mirum in modum Ciceronis oratio a Platone. Quorum longe gravissimus huc pertinet ille, quo agitur de forma mundi globosa. Legimus apud Platonem pag. 33 B *τῶι δὲ πάντ' ἐν αὑτῶι ζῶια περιέχειν μέλλοντι ζώιωι πρέπον ἂν εἴη σχῆμα τὸ περιειληφός ἐν αὑτῶι πάντα ὁπόσα σχήματα.* Cicero vertit pag. 1000₆ § 17 »A quo enim animanti omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc ea forma figuravit, qua una omnes formae reliquae concluduntur«. Sententiam in universum dictam specialiter expressit Cicero; spectat enim ad opificem, cum dicit »contineri vellet«, »forma figuravit«, idque ita, ut quasi perfectam rem narret interpres, non perficiendam, ut Plato. Nihil igitur miror, quod verba q. s. *πρέπον ἂν εἴη* proprie vertere supersedebat interpres, eo minus, quod in eis quae antecedunt, satis aperte dixerat, formam esse decoram (cf. »formam autem ei[2]) maxime decoram dedit« = *σχῆμα δὲ ἔδωκεν αὐτῶι τὸ πρέπον*«). Quodsi pergit »et globosum est fabricatus, quod *σφαιροειδές* Graeci vocant« copula explicandi vim habet eandem quam *διὸ καὶ* = u. deshalb. Ad versionem eius vocabuli q. e. *σφαιροειδές* apte conferas Academ. II § 118 ubi legimus »Xenophanes unum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse deum, neque natum unquam et sempiternum, conglobata figura« = »*ἓν τὸ πᾶν ἀμετάβλητον καὶ θεόν εἶναι τοῦτο ἀγένητον καὶ ἀίδιον σφαιροειδῆ*« Diels Doxogr. pag. 120. Plato ipse quid sit *σφαιροειδές* statim exponit, cum addit »*ἐκ μέσου πάντῃ πρὸς τὰς τελευτὰς ἴσον ἀπέχον* = cuius omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur« pag. 1000₉ § 17. Eandem autem figuram in altero libro de nat. deor. his verbis describit (§ 116) »si mundus globosus est ob eamque causam omnes eius partes undique aequabiles per se atque inter se continentur« quibus adiungas Timaei pag. 1001₄ § 20 levem illum effecit et undique aequabilem = *λεῖον καὶ ὁμαλὸν πανταχῇ τε ἐκ μέσου ἴσον* 34 B. Iam sequuntur apud Platonem haec »*κυκλοτερές αὐτό ἐτορνεύσατο*«. Cicero, si credimus

1) De figura »liberare ab« cf. Fries pag. 573, ubi deest pro Marcell. § 13 Clark »ab scelere liberati sumus«; abest praepositio in codd. familiae *β*.

2) »ei« est emendatio Plasbergii Mus. Rhen. 53, 92.

editoribus, vertit »idque ita tornavit, ut nihil efficere posset rotundius, nihil asperitatis ut haberet, nihil offensionis, nihil incisum angulis, nihil amfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum«. Nihil horum verborum apud Platonem. Atqui pridem inventus est consensus cum altero libro de nat. deor. § 47, ubi haec verba genuina. A Ciceronis Timaeo eadem abroganda esse verba ego his usus argumentis confirmabo. Primum velim mihi unam eiusmodi amplificationem monstrent illi, qui interpreti tribuerunt hunc locum. Nusquam in hac tota de universo oratione interpres tanta verborum copia usus est. Immo si unquam, mira versionis fide utitur in Timaeo. Verba q. s. »ut nihil efficere posset rotundius« a Cicerone sunt addita — non ut rotundi notionem per gradum augeret — nam hoc ineptum esse Friesio concedo —, sed ut verba *πάντων τελεώτατον* simul exprimeret. Quae enim sequuntur *ὁμοιότατόν τε αὐτὸ ἑαυτῶι σχημάτων* optime leguntur in codicibus, qui uno ore exhibent »omnesque partes simillim**ae** omnium«. De hac codicum scriptura Friesius tacet, qui Mus. Rhen. 54 pag. 568 multis verbis inanibus disputat de hoc loco; »simillimas« est coniectura Perizonii, quam secure omnes editores receperunt. Verbum tantum deest id, quod post »partes« facile excidere potuit, scilicet »essent«. Eiecta igitur interpolatione sic velim legas hunc locum »idque ita tornavit, ut nihil efficere posset rotundius omnesque partes essent simillimae omnium«. Iam recte et apte sequntur »omni autem totam figuram mundi levitate circumdedit = *λεῖον δὲ δὴ . . . αὐτὸ ἀπηκριβοῦτο*, quibus verbis interpres idem dicit, quod interpolator, qui addidit »nihil asperitatis ut haberet, nihil offensionis e. q. s. Quae ut adderet ille nescio quis ex Ciceronis libro de nat. deorum, facile commotus est, cum legeret, in Ciceronis Timaeo pag. 997$_{19}$ § 8 »si forte **de natura deorum** ortuque mundi disserentes, minus id, quod avemus animo, consequemur«, vel infra pag. 1006$_{14}$ § 37 quaeque **de deorum . . . natura** praefati sumus«. His verbis doctorum virorum animos ipse Cicero advocabat, ut inspicerent et compararent libros de natura deorum.

Transeo ad alterum locum.

Opifex mundi fatur ad deos pag. 41 A »*θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργός πατήρ τε ἔργων ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα ἄλυτα ἐμοῦγε ἐθέλοντος* = Haec vos, qui deorum satu orti estis, attendite: quorum operum ego parens effectorque sum, haec sunt indissoluta me invito« 1007$_{4}$ § 40. Primo obtutu apparet haec inter se dissentire. Primum et legisse et vertisse Ciceronem videmus »*ἐμοῦ γε μὴ ἐθέλοντος*«. Quam lectionem Hermannus in nobili illa commentatione de Ciceronis Timaeo vix merito probavit. Res enim haec est: aedificator mundi tale effecit opus *ὥστε ἄλυτον ὑπό του ἄλλου πλὴν ὑπὸ τοῦ ξυνδήσαντος γενέσθαι* 32 D = ut dissolvi nullo modo queat, nisi ab eodem, a quo est colligatus«

999_{26} § 15. Ex eis, quae sequntur pag. 41 B discimus, quamvis omne, quod colligatum est, dissolvi possit, quia factum est aptumque ex partibus, deos tamen dissolutum non iri (*οὔ . . . λυθήσεσθε*) nec morituros esse, quod dei voluntate quasi vinculo cohibeantur. *τῆς ἐμῆς βουλήσεως . . . δεσμοῦ λαχόντες.* Aut valde fallor aut Plato cum deum dicentem facit *τῆς ἐμῆς βουλήσεως κτλ.* spectat ad id, quod modo dixerat *ἐμοῦ γ' ἐθέλοντος.* Si scripsisset *μὴ ἐθέλοντος* ex negativo quod antecedit *ἄλυτα* subandiri debebat »*λύειν*«, ut ita procederet sententia »indissolubilia sunt, nisi forte ego ipse illa dissolvere volo«. Talia abhorrent ab elegantia eius orationis, quae propria Platonis est et dignissima hoc loco, ubi deus ipse loquitur. Sed revertor ad Ciceronem. Quem qui ediderunt, male secernunt »haec« ab eo verbo, ad quod pertinet, scilicet ad »fatur«. Sic igitur distinguas »fatur haec«: = *λέγει τάδε.* In ceteris vereor, ne parum intellexerit interpres philosophum. Etenim Platonis verba *ὧν . . . ἔργων* per attractionem posita sunt pro *ἔργα . . . ὧν ἐγὼ πατήρ, ἔργα* autem nominantur ipsi dei. Contra apud Ciceronem ita comparata sunt verba, ut significent »ea opera, quorum ego auctor sum indissoluta sunt«, quasi omnia, quae a mundi creatore proficiscantur, dissolvi nequeant. Pergit Platonis deus »*οὔ τι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς ὅτ' ἐγίγνεσθε ξυνεδεῖσθε*«. Ciceronis sunt haec »neutiquam tamen dissolvemini, neque vos ulla mortis fata periment nec fraus valentior quam consilium meum, quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram quam illa, quibus estis tum cum gignebamini colligati«. Primo obtutu apparet haec inter sese dissentire. Atque primum quidem »fraus« apud Platonem nil habet, quod respondeat. Deinde quod dicit interpres »nec fraus valentior, quam consilium meum« verba »*τῆς ἐμῆς βουλήσεως*«, quae pendent a verbo *λαχόντες* pro genetivo comparationis accepit. Sic igitur scriptum legit »*οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας οὐδ' ἐπιβουλῆς τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος*«. Hoc si a nobis recte disputatum est, genuina Platonis verba ex Ciceronis versione reperientur. Scripsit enim Plato »*οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας οὐδ' ἐπιβουλῆς, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ καὶ κυριωτέρου λαχόντες*« etc. In codicibus autem, qui ad nos pervenerunt, verba *οὐδ' ἐπιβουλῆς* interciderunt, id quod facile fieri potuit. Interpunctio post *ἐπιβουλῆς* Ciceronem dum vertit, fugit, unde factum, ut male intellegeret *τῆς ἐμῆς βουλήσεως* pro genetivo comparationis. Sensum tamen perspexit, quoniam recte pergit »quod (scil. consilium meum) maius est vinculum«. Infra autem pag. 1008_{25}, ubi legimus »quae cum ita designasset seseque, si quid postea fraudis aut vitii evenisset (*τῆς ἔπειτα κακίας* 42 D) extra om-

nem culpam causamque posuisset«, vide ne propter hunc ipsum locum, quem tractavimus addiderit »fraudis«.

Iam accedo ad ortum generis humani, quem exposuit Plato pag. 41 C. Opifex ille, qui dicitur *δημιουργός*, creationem hominum deis tribuit iunioribus i. e. astris. Qui dei quomodo homines creaverint, describitur pag. 43 A his verbis »*μιμούμενοι τὸν σφέτερον δημιουργὸν πυρός καὶ γῆς ὕδατός τε καὶ ἀέρος ἀπὸ τοῦ κόσμου δανειζόμενοι μόρια ὡς ἀποδοθησόμενα πάλιν εἰς ταὐτόν τὰ λαμβανόμενα ξυνεκόλλων οὐ τοῖς ἀλύτοις, οἷς αὐτοὶ ξυνείχοντο δεσμοῖς, ἀλλὰ διὰ σμικρότητα ἀοράτοις πυκνοῖς γόμφοις ξυντήκοντες, ἓν ἐξ ἁπάντων ἀπεργαζόμενοι σῶμα ἕκαστον, τὰς τῆς ἀθανάτου ψυχῆς περιόδους ἐνέδουν εἰς ἐπίρρυτον σῶμα καὶ ἀπόρρυτον.* Cicero vertit § 47 »imitantes genitorem et effectorem sui particulas ignis et terrae et aquae et animae a mundo, quas rursus redderent, mutuabantur easque inter se copulabant haud isdem vinculis, quibus ipsi erant colligati sed talibus, quae cerni non possent propter parvitatem, crebris quasi cuneolis illiquefactis unum efficiebant ex omnibus corpus atque in eo influente atque effluente animi divini ambitus illigabant« (1009 6). Cicero quod dicit »haud isdem vinculis« videtur legisse »*οὐ τοῖς αὐτοῖς . . . δεσμοῖς*«. Atque sic quidem ipse Plato fortasse scripsit; neque enim *ἀλύτοις δεσμοῖς* dei colligati sunt; immo, dixerat supra pater deorum »*ἐπείπερ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ οὐδ' ἄλυτοι τὸ πάμπαν;* 41 B, tamen non dissolventur, quia voluntate opificis quasi vinculo tenentur (cf. *τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος δεσμοῦ λαχόντες* 41 B). Cetera num apte tralata sint ab interprete licet dubitare; verbum enim q. e. *ξυντήκειν* hoc loco significat idem fere quod »conglutinare«. Dicit igitur Plato cuneolis coniunctas teneri illas particulas elementorum. Atqui »illiquefacio« nil aliud significat quam »facere, ut res dilabantur« (»flüssig machen«). Homines immortali animo praeditos esse voluit summus ille universi auctor. Itaque ipse, ut est pater immortalitatis, huius animi semina tribuit daemonibus — sic enim appellantur a Platone — his verbis usus: *καθ' ὅσον μὲν αὐτῶν ἀθανάτοις ὁμώνυμον εἶναι προσήκει, θεῖον λεγόμενον ἡγεμονοῦν τε ἐν αὐτοῖς τῶν ἀεὶ δίκῃ καὶ ὑμῖν ἐθελόντων ἕπεσθαι, σπείρας καὶ ὑπαρξάμενος ὑμῖν ἐγὼ παραδώσω*« 41 C. Patet, quid sit illud *ὁμώνυμον ἀθανάτοις*, quod *θεῖον ἡγεμονοῦν τε* dicitur: est animus. Sed videamus, quomodo res se habeat apud interpretem »in quibus, qui tales creabuntur, ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, divini generis appellentur« . . . Ergo ipsi homines divini generis appellantur. Accedit, quod homines iidem »omnium animantium principatum tenent«; pergit enim interpres »teneantque — principatum«. Atqui apud Platonem animus est, qui *ἡγεμονεῖ* — in homine scilicet. Mirum igitur in modum ab interprete

conformatus est hic totus locus: ne plura, Stoicis coloribus est imbutus. Stoici enim saepe disputabant omnium animantium principatum tenere homines, quoniam λογικὰ ζῶια essent, quibus κατὰ τελειοτέραν προστασίαν (Diog. VII 86) ratio data esset. Cf. De Legg. I 22 »animal hoc providum, sagax, acutum, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam condicione generatum esse a supremo deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis, cum cetera sint omnia expertia. Quid autem .... ratione divinius? .... Nam cum de natura hominis quaeritur, disputari solet ... exstitisse quandam maturitatem serendi generis humani, quod sparsum in terras atque satum divino auctum sit animorum munere, quomque alia, quibus cohaererent homines e mortali genere sumpserint, quae fragilia essent et caduca, animum esse ingeneratum a deo. Ex quo vere vel agnatio nobis cum caelestibus vel genus, vel stirps appellari potest«. Habes Stoicorum doctrinam. Quam cur affero? Ut appareat, Ciceronem in huius loci versione non tam ipsum Platonem transtulisse, quam Platonis Stoicum aliquem interpretem. Atqui scimus Posidonium Stoicum scripsisse commentarium ad Platonis Timaeum; quem librum Ciceroni prae manu fuisse suspicor. Qua de re statim plura dicenda; restat enim, ut notetur discrepantia Ciceronis a Platone in his: »vobisque iure et lege volentes pareant«; legit igitur non »τῶν ἀεὶ δίκηι καὶ ὑμῖν ἐθελόντων ἕπεσθαι«, sed »τῶν ἀεὶ δίκηι ὑμῖν ἐθ. ἕπ.« Stoicae doctrinae vestigia in Ciceronis Timaeo, si quis quaerat, facile agnoscat in eis, quae leguntur pag. 1008_{10} seqq. Affectus a Stoicis πάθη, a Cicerone et »perturbationes« et »motus animi« appellantur (cf. Tusc. III § 7, IV § 10 De Fin. III § 35). His autem perturbationibus liber est, qui rationi obtemperat. Itaque ex Stoicorum doctrina in eo vita beata posita est, ut ratione regantur animi motus. Iam inspicias velim Tim. pag. 1008_{12}, ubi agitur de voluptate, ira, metu, de reliquis motibus animi ...; »quos qui ratione rexerit = ὧν εἰ μὲν κρατήσοιεν, iuste vixerit, qui autem eis se dederit, = κρατηθέντες δέ 42 A, iniuste«. Quid? quod pergit interpres: »atque ille, qui recte atque honeste (εὖ) curriculum vivendi a natura datum confecerit = ὁ μὲν εὖ[1]) προσήκοντα χρόνον βιούς ..., qui autem immoderate et intemperate vixerit = σφαλεὶς δὲ τούτων. — Sane vertit Tullius sententias Platonis, sed illas tamquam Stoica veste induit. Nam Stoici arbitrabantur »omnium perturbationum matrem esse immoderatam quandam intemperantiam« Acad. post. § 39. cf. Tusc. IV 22 »omnium perturbationum fontem esse dicunt intempe-

---

1) »Profecto nihil est aliud bene et beate vivere, nisi honeste et recte vivere« Parad. I § 15.

rantiam, quae est a tota mente et a recta ratione defectio sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant«.

Haec, quae protulimus argumenta, vix sufficiant, ut iure quis putet, Ciceronem advocasse ad hanc Timaei versionem docti alicuius viri commentarium. Ne nos quidem pro certo affirmare possumus; fiet autem probabilior res, quo plures loci inventi erunt, quibus comprobetur. Legas e. g. Ciceronis c. IV pag. 998_{10} sq., ubi quaeritur »cuiusnam animantium in fingendo mundo deus similitudinem secutus sit«. Plato respondet »*τῶν μὲν οὖν ἐν μέρους εἴδει πεφυκότων μηδενὶ καταξιώσομεν*« 30 C. Dicuntur autem *ἐν μέρους εἴδει πεφυκότα* ea animalia, quae ita comparata sunt, ut ex partibus apta sint. Cicero vertit »nullius profecto id quidem, quae sunt nobis nota animantia; sunt enim omnia in quaedam genera partita aut incohata, nulla ex parte perfecta«. Habes explicationem, quam desumpsit interpres ex commentariis docti alicuius viri. Cf. Procli Diadochi in Plat. Tim. comment. ed. Diehl vol. I pag. 421 »*ἀξιοῖ μηδὲν τῶν μερικῶν· τούτων γὰρ ἕκαστον ἀτελές ἐστιν ὡς πρὸς τὸ ὅλον*«.

Tertius huiusmodi locus exstat apud Ciceronem pag. 997_{11} § 7 »difficillimum autem est in omni conquisitione rationis exordium« = *μέγιστον δὴ παντὸς ἄρξασθαι κατὰ φύσιν ἀρχήν* 29 B. Valde dubito, num plane perspexerit interpres sensum horum verborum. Displicet enim, quod dicit »difficillimum est«, cum Platonis verba significent, summi esse momenti (*μέγιστον*) omnium rerum (*παντός*) initium ita facere, ut sit *κατὰ φύσιν*. Hanc notionem Cicero omnino non expressit. Atque statim pergit »de eis igitur, quae diximus, haec sit prima distinctio«. Ista quidem non est versio; nam Plato dicit »*ὧδε οὖν περί τε εἰκόνος καὶ περὶ τοῦ παραδείγματος αὐτῆς διοριστέον*. Sane in eis, quae antecedunt dixit philosophus *περὶ εἰκόνος καὶ περὶ τοῦ παραδείγματος*. Licuit igitur interpreti notiones expressu admodum difficiles vitare, id quod assecutus est, cum diceret »de eis, quae diximus«. Cetera non minus mutata sunt ab interprete »Omni orationi cum eis rebus, de quibus explicat, videtur esse cognatio. Itaque cum de re stabili et immutabili disputat oratio talis sit[1]) qualis illa, quae neque redargui neque convinci potest. Cum autem ingressa est, imitata et efficta simulacra, bene agi putat, si similitudinem veri consequatur«. In his primum dubito, num apte dicatur »putat«. Quis putat? Oratio? Quomodo oratio potest »putare«? Vide ne scripserit Cicero »bene agi puta«, vel »bene agi putate«, quae lectio ideo mihi magis placet, quod bene convenit cum eis, quae sequuntur »contenti esse debe-

1) Plassberg Mus. Rhen. LIII pag. 89 coniecit »fit«.

bitis« 997_{21} = »ἀγαπᾶν χρή« et »ne quid ultra requiratis« 997_{24} »πρέπει τούτου μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν«. Deinde in Ciceronis verbis miror bis idem esse expressum; nam ea, quae exscripsimus »bene agi putate, si similitudinem veri consequatur (scil. oratio«, plane eodem spectant, quo quae statim sequuntur »contenti esse debebitis, si probabilia dicentur«. Haec repetitio inde mihi orta esse videtur, quod Cicero totius loci enarrationem ante oculos habuit, quam ad versionem advocavit. Cetera autem inde a »Quocirca si forte« . . . usque ad »requiratis« ex ipso Platone verbum fere ex verbo transtulit; itaque eum fugit repetitio, quae est in verbis »bene agi putate« et »contenti esse debebitis«.

De hac re nos quidem haec hactenus; sufficit enim quaestionem movisse. Certe non miraremur, si Cicero in vertendo Platonis Timaeo »qui et a veteribus difficilis habitus est« Chalcid. pag. 69 Wrob., eis usus esset auxiliis, quae exstabant atque in promptu erant.

De arte interpretis nobis liceat aliquid addere. Constat Ciceronem haud raro duobus vocabulis reddidisse unum Graecum. Ne forte miremur, quam et saepe et suo plerumque iure hac ratione usus sit in terminis philosophicis, audiamus ipsum. Profitetur enim de Fin. III § 15 »equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere«. Ut afferam exempla, vertit pag. 998_{16} § 11 »intellegentia et ratio« = *νόησις*; quem Plato *δημιουργόν* dicit (42 E) eundem Cicero »genitorem et effectorem« § 47 pag. 1009_{6}; cf. nat. deor. I 18 »opificem aedificatoremque mundi Platonis de Timaeo deum«. Talia permulta. Exstant autem, quae nescio an cum fructu accuratius examinentur: velut Tim. § 38 pag. 1006_{24} »difficile factu a dis ortis fidem non habere . . . sed . . . veteri legi morique parendum est = *τῶι νόμωι πιστευτέον* 40 E. Sciebat interpres *νόμον* esse et consuetudinem sive morem et legem. Dubitabat utro rectius hoc loco uteretur vocabulo; itaque utroque usus est. Plane eiusdem est generis pag. 1008_{25} »quae cum ita designasset, seseque si quid postea fraudis aut vitii evenisset, extra omnem culpam causamque posuisset« = *ἵνα τῆς ἔπειτα κακίας ἑκάστων εἴη ἀναίτιος* 42 D. *αἴτιος* dicitur et qui in culpa est, et auctor alicuius rei; quapropter *αἰτία* potest esse culpa, potest etiam causa. Itaque interpres, quippe qui esset in dubio, utram notionem praeponeret, utramque posuit.

Tertii generis instar sit Tim. § 9 pag. 997_{31} »non tranquillum et quietum, sed immoderate agitatum et fluitans« = *οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως*. 30 A. Duobus hoc loco utitur vocabulis, ut satisfaciat concinnitati rhetoricae. Bina enim inter se membra respondere voluit »tranquillum et quietum« ab altera parte, »agitatum et fluitans« ab altera. Quam rationem tamquam legem

ac normam dicendi pluribus mihi liceat exemplis illustrare. Pag. 1008_{14} § 45 legimus »qui recte atque honeste curriculum vivendi confecerit = ὁ εὖ βιούς 42 B. Hercle quomodo εὖ verteret, non incertus erat interpres. Sed obversatur animo id quod statim sequitur, »qui autem immoderate et intemperate vixerit«; ut igitur concinnitatem efficeret, duo usurpavit adverbia. Ipsa membra inter se sunt opposita, quae Graeci ἀντίθετα nominant; ἀντίθετα autem ut ipse ait Cicero »numerum oratorium necessitate ipsa efficiunt, et eum sine industria« (orator § 166).

Pag. 998_{29} § 12 dicit interpres »hoc ipso, quod solus atque unus esset (mundus), idcirco singularem deus hunc mundum atque unigenam procreavit« = ἵνα . . . κατὰ τὴν μόνωσιν ὅμοιον ἦι τῶι παντελεῖ ζώιωι, διὰ ταῦτα . . . εἷς ὅδε μονογενὴς οὐρανός γεγονώς ἐστι 31 B. Oratio bimembris est eadem, quae apud scriptorem ad Herennium I § 18 »ut ostenderet, id, quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos distribuisse dupliciter et bipertito«. Pag. 997_{13} § 8 legimus »cum (oratio) de re stabili et immutabili περὶ μονίμου καὶ βεβαίου 29 B disputat . . . cum autem ingressa est imitata et efficta simulacra« = τοὺς δὲ (λόγους) τοῦ πρὸς μὲν ἐκεῖνο ἀπεικασθέντος. Patet bina inter se respondere membra »stabili et immutabili«, »imitata et efficta«. Sic autem loquitur, non quia uno vocabulo unum Graecum Latine exprimere non potuerit, sed quod duobus paulo ante positis non satis apte respondeat unum. Plane eandem normam dicendi observat Cicero orat. § 96, ut alia quoque praeter Timaeum hic conferam. Dicit enim »est quoddam etiam insigne et florens orationis pictum et expolitum genus«; intellegit scilicet genus dicendi, quod ἀνθηρόν Graeci nominabant.

Ut revertar ad Timaeum, pag. 1010_{10} § 51 exstant haec: »illum, qui intellegentiae sapientiaeque se amatorem profitetur = νοῦ καὶ ἐπιστήμης ἐραστήν 46 D, necesse est intellegentis sapientisque naturae = τὰς τῆς ἔμφρονος φύσεως αἰτίας primas causas conquirere«. Cui loco adiungas § 11 pag. 998_{16} »omnes, qui animo cernuntur et ratione intelleguntur animantes, (= τὰ νοητά) complexu rationis et intellegentiae . . . comprehenduntur«. Iam, ut appareat nos recte observare, opponas pag. 998_{24} § 12 »Quod omnes animantes eos, qui ratione intelleguntur = νοητά 31 A complectitur, id non potest esse cum altero«. Patet, quae res sit; neque enim est bimembris oratio, sed simplex; itaque et simplex versio. Addas sis pag. 997_{3} § 6 »idne, quod semper unum et idem et sui simile = τὸ κατὰ ταὐτά καὶ ὡσαύτως ἔχον 29 A, an id, quod generatum ortumque = γεγονός dicimus«. Haec quoque sententia bimembris est, quoniam verba »unum et idem« in unam notionem coalescunt. Statim autem post (997_{5})

simplex sententia est, simplex versio »sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum = τὸ γεγονός 29 A exemplum est pro aeterno secutus«. Talia facile augeri possunt; velut § 16 pag. 999_{30} sic vertit Cicero »ut mundus animans posset ex perfectis partibus esse perfectus = τέλεον ἐκ τελέων«, in oratione non bipertita. Contra § 33 pag. 1005_{7} »illud perspici et intellegi potest = ἔστι κατανοῆσαι δυνατόν 39 D, absoluto perfectoque numero temporis absolutum annum perfectumque tunc compleri denique = ὡς ὅ γε τέλεος ἀριθμός χρόνον τὸν τέλεον ἐνιαυτόν πληροῖ τότε«. cf. de Fin. V 69 »non perfecti homines . . . honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam«.

Ex his igitur agnoscimus ingenium Ciceronis, qui patrii sermonis paupertatem sua verborum et copia et elegantia superarit. Elegantiam dico. Habent enim, ut ipso Cicerone teste utar, verba bene collocata ornatum, »si aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat manente sententia« or. § 81. Accedit quod »aures exspectant, ut apte verba cadant« (or. 168). Quae cum ita sint § 28 pag. 1003_{21} sic scripsit Cicero »orbis . . . immutatus et rectus || omnia animo mentique || denuntiat, tum opiniones adsensionesque || firmae veraeque || gignuntur«. Graeca sic se habent: κύκλος ὀρθός . . . εἰς πᾶσαν . . . ψυχήν διαγγείλῃ, δόξαι καὶ πίστεις γίγνονται βέβαιοι καὶ ἀληθεῖς« 37 B. Videmus igitur consentire interpretem cum Platone in apodosi, dissentire in protasi. In ea autem concinnitatis causa dixit »immutatus et rectus«, »animo mentique«. Ut hoc loco, ita pag. 1008_{31} § 46 simplex verbum q. e. ἄρχειν duobus nominibus circumscripsit »principes se ducesque praeberent«, quia binis circumdatur membris »ut perpolirent et absolverent« [1]) = ἀπεργάζεσθαι atque »regerent et gubernarent« = διακυβερνᾶν 42 D. Ex hoc autem loco discimus Ciceronem Graeca verba composita haud raro duobus vocabulis Latinis exposuisse. Ut afferam exempla: Tim. pag. 1007_{17} § 18 »nec vero desiderabat (mundus) detractionem confecti et consumpti cibi« = τὴν ἐξικμασμένην τροφήν« 33 C; pag. 1009_{19} § 49 »se confudit et contulit« = ξυμπαγοῦς γιγνομένου 46 B; pag. 1005_{3} § 32 »sol confecit et peragravit orbem« = περιέλθῃ 39 C; pag. 1000_{31} § 18 »qui iunxit et condidit« = ὁ ξυνθείς 33 D; pag. 1005_{7} § 33 »perspici et intellegi potest« = ἔστι κατανοῆσαι δυνατόν; contra τὰ νοούμενα 30 D = quod intellegi potest 998_{13} § 12, τὸ νοητόν 39 E = quod sentimus 1005_{13} § 34, νοήσαντες 42 E = cum cognovissent 1009_{4}. Sufficiant, quae exscripsimus. Pauca tantum restant eaque

---

1) Naegelsbach: lat. Stilistik pag. 533.

singillatim tractanda. velut pag. 999_4 § 13 »omnia duo ad cohaerendum . . . quasi nodum vinculumque desiderant« Cicero duas Platonis sententiolas in unam contraxit; ille enim »*δύο δὲ μόνω καλῶς ξυνίστασθαι τρίτου χωρὶς οὐ δυνατόν. δεσμὸν γὰρ ἐν μέσῳ δεῖ τινὰ ἀμφοῖν ξυναγωγὸν γίγνεσθαι* 31 C. Apparet Ciceronem duobus substantivis »nodum vinculumque« non unum Graecum reddere, sed spectare et ad »*δεσμόν*« = »vinculum« et ad »*ξυναγωγόν*« = »nodum«. Itaque unum tantum substantivum sequitur »sed vinculorum = *δεσμῶν δὲ* id est aptissimum atque pulcherrimum« = *κάλλιστος*. Sed cur his duobus utitur epithetis? De hac re non dubitet, qui reputaverit, quid significet »aptum«. Significat autem »aptum conexum et colligatum« (Nonius), »comprehendere enim vinculo antiqui apere dicebant« (Festus). Itaque, ut »aptus est is, qui convenienter alicui iunctus est« (Festus s. v. Apex), ita aptum vinculum dicitur id, quo convenienter et »optime« 999_6 = *κάλλιστα* 31 C res inter se conectuntur.

Alter locus huc respicit pag. 1006_{26} § 39 »Caeli satu Terraeque conceptu generatos editosque« = *ἐγενέσθην* 40 E. Nil potest esse apertius: scilicet suum utrique substantivo verbum accommodavit interpres. Tertius denique exstat pag. 998_{21} § 12 »Rectene igitur unum mundum diximus, an fuit plures aut innumerabiles dictu melius et verius?« = »*πότερον οὖν ὀρθῶς ἕνα οὐρανὸν προσειρήκαμεν, ἢ πολλοὺς καὶ ἀπείρους λέγειν ἦν ὀρθότερον;* 31 A. Vix ostentaturus erat Romanus, quid lingua valeret, cum unam Graecam vocem trifariam (»recte« »melius«, »verius«) redderet Latine, sed propter duo adiectiva duo quoque adverbia videtur admisisse. Similis autem generis est pag. 1003_{10} § 27 »ab optimo et praestantissimo genitore = *ὑπὸ τοῦ ἀρίστου*« 37 A. Praecedunt enim in eadem sententia haec: »rationis concentionisque«, »sempiternarum rerum et sub intellegentiam cadentium« »compos et particeps«. Ergo concinnitatem observat Cicero, nec quia »aliter non posset« exposuit unum Graecum duobus vocabulis latinis, sed quia ut apte cadentis sermonis summus fere artifex aliter nollet. De hac re haec hactenus.

Priusquam autem de Ciceronis versibus agamus, pauca tantum addere liceat de novis quibusdam vocabulis a Cicerone effectis. In quibus primum affero pag. 1008_9 § 44 »cum autem . . . . ad corpora tum accessio tum abscessio fieret« = *προσίοι . . . . ἀπίοι* 42 A. »Abscessio« novum vocabulum est, quod non diu quaerebat Cicero, sed quod totius loci natura animo obtulit. Ubi enim hoc modo vocabula iunguntur, alterum alterius quasi parens est [1]). Itaque Seneca ep. 72

1) Leo »Analecta Plautina« II pag. 28. Bögel »de nom. verb.« pag. 163. Fleckeis. suppl. XXVIII.

§ 7 scripsit »cui aliquid accedere potest, id imperfectum est, cui aliquid abscedere potest, id inperpetuum est«. Ut sequens verbum antecedenti, ita antecedenti adiectivo alterum provocatur ex analogia; neque enim usquam praeter hunc locum exstat vocabulum q. e. »imperpetuus«. Cicero autem § 18 pag. 1000_{18} sic scripsit: »neque enim ulla decessio fieri poterat, neque accessio« = *ἀπῄει τε γὰρ οὐδὲν οὐδὲ προσῄει* 33 C. Unde luce clarius apparet nos recte iudicasse de priore loco. Quis enim est, qui putet ex tali verborum ordine existere potuisse per analogiam i. q. e. »abscessio«?

Alterum huiusmodi exemplum affero ex Ciceronis Timaeo pag. 998_{1} § 9 »ex inordinato in ordinem adduxit« = *ἐκ τῆς ἀταξίας εἰς τάξιν ἤγαγεν* 30 A, ubi nova forma comparet q. e. »inordinatus«. Proxime autem praecedit pag. 997_{31} »immoderate« = »*ἀτάκτως*«. Potuit interpres *ἀταξίαν* vertere cum diceret »perturbationem« (cf. 46 E *ἄτακτον* = inconstans et perturbatum 1000_{15} § 51, cui oppositum est »moderatum atque constans« pag. 1008_{4} § 43 = *τεταγμένον*), potuit etiam »confusionem«, potuit aliter, sed noluit. Nam in eiusmodi figuris, quibus notiones contrariae inter se opponuntur, unum vocabulum, quoad fieri potuit, tenendum fuit. Sic enim opponuntur honestum et inhonestum, purum impurum, sic alia sescenta. Cf. Cic. Tuscul. III § 10 »ita fit, ut sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas quaedam, quae est insania eademque dementia«. Cf. Pauli epistula ad Corinthos I 15, 42 »*σπείρεται ἐν φθορᾶι, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίαι*« i. q. verterunt »seminatur in corruptione, surget in incorruptione«.

Afferam denique, ut harum rerum finem faciam, Graecum vocabulum, quod non semel vertere debebat Cicero — scil. *ἁπτός*. Dixit pag. 996_{21} »id, quod tangitur« = Apul. de dogm. Plat. I c. 8; pag. 999_{31} »id quod tangi potest« = Apul. de dogm. Plat. I 8 »quod manu attingi potest«; pag. 999_{23} »id quod sub tactum cadat« = Sen. ep. 58 § 16 »id quod tactu comprehenditur«. Cf. Macrob. Somn. Scip. pag. 490_{15} Eyss. »mundus, qui et visum pateretur et tactum«. Contra pag. 998_{31} § 13 idem vocabulum exprimens dixit interpres »tractabile«. Cur? Locus ipse respondeat; est enim hic »Corporeum autem et aspectabile itemque tractabile omne necesse est esse, quod natum est«.

III. Caput: De Homero tragicisque poetis.

A Platone »philosophorum Homero« (Tuscul. I 79) facilis est via ad ipsum Homerum ceterosque poetas. Ad quos priusquam accedamus,

sunt pauca, quae praemitti debeant. Contendimus enim supra[1]) non sine causa translatum esse Platonem a Cicerone. Summus scilicet Romanorum orator non imitari tantum, verum etiam aemulari voluit Platonis orationem, Platonis »singularem suavitatem« (de Div. I 78). Etenim semper philosophorum illum deum Platonem admirabatur, »quod in oratoribus irridendis ipse esse orator summus videbatur« De or. I 47. Condonabimus igitur Ciceroni, quod materiam non semper penitus perspexit; nam **»in Timaeo Platonis rerum obscuritas, non verborum facit, ut non intellegatur oratio**« (de Fin. II 15). Praeterea noli oblivisci, Ciceronem non esse philosophum, sed oratorem, id quod ipse profitetur, cum dicit »cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem«. De Fato § 3. Perfecti autem oratoris est »saepe auctoritatem petere ad fidem faciendam ex philosophorum et poetarum et historicorum et dictis et scriptis« (Top. 78). Testimonia enim — ut ait Quintilianus V 11, 37 — quodammodo sunt potentiora«. Itaque »sententiis poetarum non orationes modo sunt refertae sed libri etiam philosophorum, qui quamquam inferiora omnia praeceptis suis ac litteris credunt, repetere tamen auctoritatem a plurimis versibus non fastidierunt« (Quintil. V 11, 39). Videmus igitur plane ex consuetudine veterum scriptorum fieri, ut »oratio a disputandi subtilitate traducatur ad exempla« Cic. Tusc. III 56. Quam consuetudinem unde acceperit Cicero ipse quaerenti Attico his verbis exponit »fuisti saepe, cum Athenis esses in scholis philosophorum, . . . animadvertebas igitur . . . versus ab eis admisceri orationi . . . . Philo noster et lecta poemata et loco adiungebat. Itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, **studiose equidem utor nostris poetis, sed sicubi illi defecerunt, verti multa de Graecis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret latina oratio**« Tus. II 26. Animadvertas velim Ciceronem diserte dicere »in hoc genere disputationis«. Ab illo autem immane quantum distat familiaris sermo, qualis exstat in epistulis. In eis quoque permultis locis versus afferuntur, nusquam vertuntur. Ne in ea quidem epistula, quam »genere novo litterarum usus« scripsit ad Caesarem (ep. XIII 15), utitur versibus latine expressis, sed ipsis Homericis. Deinde animadvertas Ciceronem dicere »ne quo ornamento careret **latina** oratio«. Id enim quam maxime sibi proposuerat, ut Graecas litteras patrio sermone suis civibus mandaret. Quapropter etiam Graecorum poetarum versus aut vertere, aut omnino omittere debebat. Adde, quod »omnis loquendi elegantia quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus et poetis« (de

---

1) pag. 12 h. o.

or. III 39). Quodsi augetur legendo, quanto magis vertendo! Denique »summa laus eloquentiae est amplificare rem ornando«, quae »amplificatio plurimum potest cum concitamus animos« (de or. IV 104). *Πάθος* autem — de eo enim hoc loco agitur — *πάθος* unde magis discitur, quam ex fabulis tragicorum? In Herculis laboribus, in Promethei doloribus, nonne omnem licuit interpreti expromere dicendi et vim, et gravitatem? Nec minus, ut opinor, Ulixis illa contio (B 299) apta fuit, in qua ostenderet imitator, quid ipse valeret dicendo. »Neque enim iam Troicis temporibus **tantum laudis in dicendo Ulixi tribuisset Homerus** et Nestori, quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem, nisi iam tum esset honos eloquentiae, neque ipse poeta hic . . . . ornatus in dicendo **ac plane orator** fuisset« (Brutus § 40). Atque de hac quidem contione nos statim disputabimus; hoc tantum addere liceat nos quaerere, qua arte Cicero poetas verterit. »Poetis« autem »proxima cognatio est cum oratoribus« de or. III 27. Itaque ad Ciceronem nobis non tam accedendum erit, ut ad poetam, quam ut ad oratorem. De arte autem iudicare non possumus, nisi ex accurata cuiusvis fere versus interpretatione, ex qua cognoscimus, qua quidque ratione ab interprete sit dictum. In hac enim re mihi maxime displicet Clavelius, qui olim scribere ausus est »de Cicerone interprete Graecorum«. Nihil ille nos docet, nihil de Platone, de Arato nihil, nihil de ceteris. Exscripsit totum Timaeum, totum Aratum, utrique Ciceronis versionem adscripsit, quasi non exstarent editiones. Item congessit Homeri locos a Cicerone tralatos, de quibus cum alia profert tum haec: »Quis propius aequavisset clarum illud Homeri ac breve dicendi genus, lepore etiam plenissimum? Quis alius effecisset, ut illi picturae rediret color et sanguis? Ita poetae magni a magnis vitam resumunt(!) imitatoribus«. Nolo pergere. Quis enim est, qui risum teneat in eis, quae mox sequntur: »grandia tamen tenuis conatur Cicero«. Palmatum igitur et colapho percussum Clavelius interpretem dimisit, quem modo palma summaque laude dignum putaverat.

De Cicerone interprete Homeri: B 299 sq. = de Divin. II § 63 sq.

Incipit »Ferte, viri et duros animo tolerate labores«. Habes quasi quandam *παραίνεσιν*. Contionatur enim dux apud cohortes militia fessas. Duces autem, qui milites hortantur, ut firmis sint animis, non loquuntur ut ad »amicos« (*τλῆτε φίλοι*), sed more militari ad viros. Quo nomine qui digni putantur, eos decet »fortes magnanimosque« (offic. I 63) esse. Pergit igitur orator »duros animo tolerate labores«. Constat enim inter omnes »virorum esse fortium et magnanimorum toleranter dolorem pati« Tus. II 43. Fortitudo autem, quid

aliud est, quam »laboris perpessio«? (ad Heren. III § 3). Duo synonyma »ferte et tolerate« desumpta sunt ab interprete ex »perpetua verborum concertatione eorum, qui definiunt dolorem, cum dicunt asperum, difficile perpessu, durum, vix quod ferri tolerarique possit« Tusc. II § 30. Haec, quamquam dicuntur de doloribus, pertinent etiam ad »labores«. Etenim »licet intersit aliquid inter laborem et dolorem, sunt tamen finitima . . . . et labor est functio quaedam vel animi vel corporis gravioris operis et muneris« Tus. II § 35. Iam igitur si totum versum contuleris cum Graeco, eum plane novum extitisse sub manibus artificis concedes. Ut enim Vergili versus »Durate, et vosmet rebus servate secundis« (Aen. I 207) ita Ciceronis cum Homero nil habet commune, nisi unum verbum »*τλῆτε*«. Itaque vel ex hoc primo versu, quem tractavimus, cognoscimus Ciceronem esse non interpretem, sed imitatorem. Multo id magis apparebit, si sequentem versum *ἢ ἐτεὸν Κάλχας μαντεύεται ἠὲ καὶ οὐκί* cum Cicerone contuleris. Pro uno enim ille duos profert, in quibus facili opera vitare potuit tam fortia verba, qualia sunt »ratosne habeant an vanos pectoris orsus«. Sed quasi quodam tralaticio sermone utitur. Dixit enim »pectoris orsus« propterea, quod vaticinia ex pectore anhelari putabantur (cf. Verg. Aen. VI 48, Ovid. Pont. III 4, 93 »deus est in pectore nostro, haec duce praedico vaticinorque deo«). Nec »rati« dicuntur orsus, nisi ex sollemni quadam haruspicinae oratione (de Div. I 85, II 80). Etiam de vanitate totius divinationis his libris iterum iterumque disputat cf. »irrideamus haruspices, vanos et futiles esse dicamus« I § 36. Iam incipit narratio, *εὖ γὰρ δὴ τόδε ἴδμεν*. Narratur autem prodigium. Atqui postulatur ab ipso Cicerone »ut rebus par sit et aequalis narratio« or. 123. *δεῖ γὰρ τὸν ἀγαθὸν ποιητὴν καὶ ῥήτορα μιμητικὸν εἶναι τῶν πραγμάτων ὑπὲρ ὧν ἂν τοὺς λόγους ἐκφέρῃ μὴ μόνον κατὰ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν*«. Dion. de compos. verb. pag. 89 Raderm. Quam legem videtur observasse interpres in huius versus versione; mirus enim est et litterarum concentus (»memori . . . mente« cf. Hor. sat. II 6, 31) et syllabae — -ent- ter repetitae in his »por**ten**tum m**ent**e re**tent**ant«. Portenta quasi portentosa oratione proferuntur. Similis est Ciceronis versus »Tristi **ad**vo**la**tu **ad**uncis **la**cerans unguibus« (Tus. II § 24) de aquila Promethei iecur dilaniante. Nam is quoque versus ex eis est, de quibus Dionysi Halicarnassensis verba conferantur pag. 60 l. l. »*τὰ γράμματα καὶ τὰς συλλαβὰς οἰκείας οἷς ἂν βούλωνται παραστῆσαι πάθεσιν ποικίλως φιλοτεχνοῦσιν*.

Narratio qualis esse debeat non semel exposuit Cicero; »erit perspicua si verbis usitatis narrabitur« de orat. II 329. Itaque interpres in his quoque versiculis »usitatis verbis« narrat, id tantum curans, ut

res sit eadem h. e. nequid absit aut supersit, in verbis contra plane discrepat ab Homero, maxime autem in epithetis. Etenim ille v. 305 *ἀμφὶ περὶ κρήνην*, Tullius noster »circum latices gelidos«, ille »*ἱεροὺς κατὰ βωμούς*«, noster »fumantibus aris«, ille »*τελῃέσσας ἑκατόμβας*«, noster »aurigeris divom placantes numina tauris«. Quoniam nullo modo ad verbum vertere poterat, antiquitatis speciem saltem retinuit. Constat enim teste Macrobio I 17, 29 Romanos antiquissimis temporibus auratis hostiis usos esse. Eo magis autem placet Ciceronis versio, quod item Graeci Homerici auratis haud raro hostiis utuntur. Ut pergamus conferre Romanum cum Graeco, legimus apud hunc *καλῇ ὑπὸ πλατανίστωι*, apud illum »sub platano umbrifera. Ista quidem non est versio, sed imitatio, aemulatio. »Putabant enim Romani platanum umbrae gratia tantum ex alieno orbe petitam esse«. Plin. XII 3, 1. Cf. Cic. de orat. I 28 »nam me haec tua platanus admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa remis, quam illa, cuius umbram secutus est Socrates«. Quoniam imitator v. 8 dixerat »latices gelidos« haud sane novo epitheto uti debebat, quo redderet »*ἀγλαὸν ὕδωρ*«; itaque suis iterum verbis usus substituit »fons unde emanat aquai« (cf. Lucr. VI 890 fons dulcis aquai). His singulis rebus pertractatis de arte aliquid addam. Apparuit Ciceronem nullo modo se astrinxisse legibus interpretis. Neque enim est ex eis, qui »Odysseam Homeri ruminari incipiant« (Varro.). Ne sim multus, hac videtur usus esse ratione: legit versus, ut intellegeret, quae res esset. Quam cum tenet non ita vertit, ut singulos versus inspiciat, sed omnes ex memoria reddit suo sermone. Hoc me non temere fingere, testor ipsum Ciceronem »in cottidianis commentationibus equidem mihi adulescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime . . ., ut aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem« de orat. I § 154. Habes etiam causam, cur statim in describendo dracone alia imagine utatur Cicero, alia Homerus *δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός* »immani specie tortuque draconem« (cf. tortu multiplicabili draconem« Tus. II 22). Cetera ab Homero narrantur per *λέξιν εἰρομένην*: *ἔνθ' ἐφάνη . . . ἔνθα δ' ἔσαν . . . ἔνθ' ὅ γε.* Oratores sic non loquuntur. Quapropter substituit interpres *λέξιν κατεστραμμένην*, qua fit, ut singulae sententiolae una periodo comprehendantur.

Adde quod ista ratione id maxime assequitur interpres, ut brevis fiat narratio. Brevis enim erit narratio, »si summatim non particulatim

1) Norden Aen. VI pag. 250.

narrabimus« ad Her. I § 14 vel »si cuius rei satis erit summam dixisse, eius partes non dicentur« de inv. I § 28. Particulatim autem narrat Homerus cum dicit *ἔνθα ἔσαν στρουθοῖο νεοσσοί . . . . ὀκτώ, ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἔεν*. Cicero cum dicit »corripuit pullos . . . . foliorum tegmine saeptos«, satis expressit pullos in platano **fuisse**, cum dicit »quos cum consumeret octo«, quivis intellegit, octo pullos **fuisse**, denique cum dicit »nona super tremulo genetrix clangore volabat« apparet matrem nonam **fuisse**. Ne illud quidem vertit »*πρός ῥα πλατάνιστον ὄρουσεν*« v. 310, sed statim ad ipsum effectum tendit »Qui platani . . . . in ramo corripuit«. »Saepe enim in narratione satis est, quid factum sit, dicere, non ut enarres quemadmodum sit factum«; de invent. I 28. Quemadmodum factum sit, penetrasse scilicet draconem in ramos antequam corripere posset pullos foliorum tegmine saeptos, hoc per se intellegitur. Talia propterea hoc loco addo, ne quis argutias me quaerere putet. Pertinent enim ad oratoris suppelectilem, id quod appareat ex scriptore ad Her. I 14 »rem breviter narrare poterimus, si . . . . exitus rerum ita ponemus, ut ante quoque, quae facta sint, sciri possint, tametsi nos reticuerimus, quod genus si dicam me ex provincia redisse, profectum quoque in provinciam intellegatur«. cf. Cic. de invent. I 28 »ita dicetur, ut nonnumquam ex eo, quod dictum sit, id quod non sit dictum intellegatur«. Animadvertas velim, quomodo duo participia, alterum v. 315 *ὀδυρομένη*, alterum v. 316 *ἀμφιαχυῖαν* expresserit »tremulo clangore«, deinde quomodo primis quasi lineolis designaverit ea, quae sunt apud Homerum »*θαυμάζομεν οἷον ἐτύχθη* 320, *δεινά πέλωρα* 321, *τέρας μέγα* 324. Contentus enim fuit dixisse »mirabile monstrum« (Nord. Aen. 367). Nec erat, cur tot modis magnitudinem draconis illustraret, cum supra dixisset »vidimus immani specie . . . . draconem«, quod epitheton brevi post eodem versus loco non sine ratione iteratur »Cui ferus immani laniavit viscera morsu«. In his autem quam maxime exaggerantur ab interprete et ad immanitatem beluae accommodantur, quae sunt apud Homerum v. 316 *τὴν δὲ . . . λάβεν*, plane ut infra »taetro mactatas dente videtis« = *ἔφαγεν* 326. Tota igitur rei descriptio ab oratore omni oratoria vi exornata est. Quam ut efficeret effectamque augeret non solum idem epitheton »immani« bis eodem versus loco posuit, sed etiam ex antecedentibus versibus paulo post eodem versus loco recepit illud »vidimus« (»vidimus immani . . . . vidimus in mediis«). Sunt autem ist verba »quasi cum vi quadam veritatis erumpentia« (Quintil. IX 2, 76); propterea initio versus ponuntur.

Sequitur Calchantis vaticinium: affatur augur Achivos »timidos« stantes. Optime igitur infit »Quidnam torpentes subito obstipuistis Achivi?« Torpentes enim dicuntur, quibus »torpuerat gelido lingua

retenta metu« (Ovid. her. XI 82). Pertinet igitur hoc participium ad haesitantiam linguae, qua vice fungitur apud Homerum »ἄνεῳ«. Obmutuerunt autem Achivi, unde tam subitum portentum; apte igitur addit »obstipuistis«. Iam repetuntur ab Homero versus 313 et 317, a Cicerone non item. »**Eandem**« enim »**rem non dicemus eodem modo**[1]), nam id quidem obtundere auditorem est, non rem expolire — **sed commutate**« (ad Heren. IV 54). Denique in peroratione *τῷι δεκάτωι δὲ πόλιν αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν*« tamquam ad animos incitandos amplificatione utitur interpres »Quae decumo cadet et poena satiabit Achivos«. Id igitur spectat, ut auditoribus ante oculos ponat, quales ex tot tantisque laboribus fructus percepturi sint. Neque enim »solum effici posse, quae suademus erit persuadendum (in perorationibus scilicet), sed curandum etiam, ut illa . . . iucunda videantur. Ad commovendos autem animos maxime proficient eiusmodi sententiae, quae aut ad explendas cupiditates aut ad odium satiandum aut ad ulciscendas iniurias pertinebunt« Cic. orat. part. § 95 sq.

De Cicerone interprete Homeri haec hactenus; quae enim restant, ea alio h. o. loco a nobis proferentur. Ostendimus Ciceronem his versibus transtulisse Homerum, ut decet oratorem. Orator autem artis rhetoricae legibus tenetur. Quas leges, quoad huc pertinerent, ex intima ipsius Ciceronis disciplina nos attulimus. Sed Cicero usque adeo orator est, ut vigeat in eo vivatque tota oratoria disciplina tamquam animus in corpore. Artis igitur in hac versione siqua vestigia deteximus, ea profecta esse putabimus ex ingenio perfecti oratoris. Quoniam autem arbores, ut aiunt, sui cuiusque ingenii poma ferunt, non miramur, quod nobis licuit ex Graeca stirpe, quam transtulit Tullius in hortos Romanorum, novos, ut ita dicam flores decerpere. Ex his autem floribus prima sibi mella collegisse videtur Ovidius, qui in metamorphosibus (XII 10—23) eundem Homeri locum imitatus est. Sunt quae magis ad Ciceronem, quam ad Homerum respiciant. Cf. Cic. »vidimus immani specie tortuque draconem«, Ov. v. 13 »Danai videre draconem, Hom. 308 *ἐφάνη μέγα σῆμα.* Cic. »corripuit pullos«, Ov. v. 17 corripuit serpens, Hom. 316 *λάβεν.* Cic. »quidnam obstipuistis Achivi« Ov. v. 18 obstipuere omnes; Cic. »Troiam . . . quae decumo cadet, Ov. v. 20 Troia cadet Hom. 329 *πόλιν αἱρήσομεν.* Cic. »Abdidit et duro formavit tegmine saxi«, Ov. »Fit lapis et servat serpentis imagine saxum« (cf. Cic. de div. § 65 »de dracone silet, qui, . . . lapideus dicitur factus«). Quod dicit »abdidit« interpres, patet eum legisse »*ἀίδηλον*« cf. schol. *ὁ φήνας αὐτὸν θεὸς καὶ ἄδηλον ἐποίησεν*«.

---

1) Cf. pag. 9 huius opusculi.

De Cicerone Aeschyli interprete. Tuscul. II § 23 sq.

Transeo ad poetas tragicos, quorum princeps est Aeschylus. In eo autem perincommode accidit, ut de arte interpretis non aeque iudicare liceat. Etenim amplissimum locum desumpsit Cicero ex fabula, quae Fortunae iniquitate aetatem non tulit. Quamquam igitur pro certo hic nihil affirmari poterit, afferam quae mihi causas rerum vestiganti cum aliquo saltem fructu adnotari posse videbantur. Cicero quod dicit »socia nostri sanguinis«, fortasse ob oculos habuit »ξυνομαίμονες« cf. Prometh. vinct. v. 410. In eadem fabula v. 562 Io incipit »τίς γῆ; τί γένος; τίνα φῶ λεύσσειν τόνδε χαλινοῖς ἐν πετρίνοισιν χειμαζόμενον«, similiter Cicero »religatum asperis vinctumque saxis«. cf. Enn. ap. Cic. in Pis. § 43 »saxis fixus asperis«, Tusc. I 37 »per speluncas saxis structas asperis«; Apol. Rhod. Argon. II 1251 »περὶ στυφελοῖσι πάγοισι«. Quaerenti Ioni »σήμηνον ὅστις ἐν φάραγγί σ' ὤχμασεν« 618 respondet Prometheus »βούλευμα μὲν τὸ Δῖον, Ἡφαίστου δὲ χείρ«. Apud Ciceronem queritur »Saturnius me sic infixit Iuppiter Iovisque numen Mulciberi adscivit manus«. Ut autem ipse Vulcanus exclamat v. 45 »ὦ πολλὰ μισηθεῖσα χειρωναξία«, ita Prometheus »Hos ille cuneos fabrica crudeli inserens perrupit artus; qua miser sollertia Transverberatus castrum hoc Furiarum incolo«. Qui ab interprete »cunei«, ei ab Aeschylo σφῆνες dicuntur v. 64. Versus de aquila conferas et cum Aeschylo et cum Apollonio Rhodio argon. II 1262 αἰετόν ὠμηστήν Cic.: »pastu dilaniat fero«, dilaniandi autem verbum respondet ei q. e. apud Aeschylum διαρταμεῖν Prom. vinct. 1023. Mirus deinde consensus inter Apollonium (II 1253) et Ciceronem in his:

»αἰετὸν ἥπατι φέρβε παλιμπετὲς ἀίσσοντα«.

»Tum rursum taetros avida se ad pastus refert Sic hanc custodem maesti cruciatus alo«. Custos autem hic dicitur Iovis ille satelles plane ut ab Horatio »nec Tityi iecur reliquit ales custos«. Videtur igitur Horatius memor fuisse Aeschyli. Aquila autem — sic pergit Prometheus, »me perenni vivum foedat miseria« Dicitur enim ab Aeschylo »δαιταλεὺς πανήμερος« Prom. vinct. 1024. Vinctum autem commiseratur chorus v. 472 »πέπονθας αἰκὲς πῆμα, ἀποσφαλεὶς φρενῶν . . . . σεαυτὸν οὐκ ἔχεις εὑρεῖν. Non aliter Prometheus apud Ciceronem »Sic me ipse viduus pestes excipio anxias Amore mortis terminum anquirens mali« = »ὅτωι θανεῖν μέν ἐστιν οὐ πεπρωμένον. αὕτη γὰρ ἦν ἂν πημάτων ἀπαλλαγή· νῦν δὲ οὐδὲν ἐστι τέρμα μοι προκείμενον μόχθων«. Prom. vinct. v. 475 sq. cf.

Tim. pag. 1008 20 neque terminum malorum prius aspiciet = *οὐ πρότερον πόνων λήξοι* 42 C.

Spicas contuli, quoniam ex agro depopulato non licet manipulos colligere. Sed quamquam quomodo verba verterit dicere non possumus, videmus saltem quoad vim poetae expresserit Cicero. Nam »spirat tragicum satis et feliciter audet«. An non est audax in vocabulis? Animadvertas »castrum«, »advolatu« (*ἅπαξ λεγόμενοι*), »adesum« (Thielmann »de sermonis propriet. in prim. Cic. libr.« pag. 7) »aspellor« »horrisono«, et alia quae eius generis sunt. Est enim, ut ait Quintilianus X 1, 66 Aeschylus sublimis et gravis et grandiloquus saepe usque ad vitium«. Talem orationem, ut imitaretur Cicero ipse gravis et grandiloquus esse debebat.

Praeter hos versus exstat sententia ex Prometheo vincto 377 sq. tralata in Ciceronis Tusculanis (III 76). *λόγοι* dicuntur ab Aeschylo *ἰατροί*, plane eodem modo, quo oratores conferuntur cum medicis a Platone (Phaedr. 270 B), a Cicerone de or. II 186, de invent. I § 6. Itaque, ut Cicero in Catil. II 17 dixit »medicinam orationis«, ita hoc loco dicendum fuit »orationem« non »rationem«. Sic enim librarii. Salutari autem medicamento opponitur morbus, cui medicinam adhiberi vult. scil. *ὀργὴ νοσοῦσα.* Dindorfium, dum conicit *ὀργῆς ζεούσης*, fugit *ὀργήν* esse animi affectionem positam pro ipso animo, qui cur »aeger« dici nequeat, equidem non video. Cicero nomine *ὀργῆς* ductus vertit »iracundiae«, idque felicissime. Sic enim factum est, ut *νοσούσης* propria versione non egeret. Etenim differt ab ira iracundia; »iracundia est perpetua«, »ira ad tempus suscipitur«. Tusc. IV § 27, Victor. ad Cic. Rhetor. II 5 pag. 126 Or. Senec. dial. III 4, 1 »iratus potest esse non iracundus, iracundus potest aliquando non esse iratus«. Ne multa, iracundia **morbus** est animi, id quod vel ex eis apparet, quae Cicero his versibus praemisit »sumendum tempus est non minus in animorum morbis, quam in corporum«. Concedit Aeschyleus Prometheus verum esse Oceani dictum, dummodo quis *ἐν καιρῶι μαλθάσσηι κέαρ.* Qui contra tumentem animum = *σφριγῶντα θυμόν* vi reprimere cupiat = *βίαι ἰσχναίνηι*, eum non adhibere medicinam sed currentem, ut aiunt incitare. Cicero dum vertit, id spectat, ut sensus maneat idem non manentibus verbis. Itaque pergit, qua coeperat imagine uti: »mederi« »medicinam admovens«, »volnus«. Id mihi propterea placet, quod tumor ille animi (cf. *σφριγῶντα θυμόν*) vel sub »iracundiae« nomine quodammodo latet cf. »sapientis animus nunquam turgescit, numquam **tumet**, at iratus animus eiusmodi est« Tusc. III § 19. Totus igitur locus speciem mutavit. Noli — sic ait Cicero, noli inquam volnus manu incitare. Id enim qui facit, non is sanat, sed vulnerat. In hoc autem sententiarum conexu bene

fecit interpres, quod Graecum illud *βίαι* reddidit non »vi«, sed »manu« (cf. ad Att. III 15 ne meis vulneribus manus afferam). Qua de re plura invenies in Plasbergii vindiciis Tullianis pag. 227 »Festschrift für Vahlen«. Totum autem dictum potes conferre cum Vergili Aen. XII 46 »haudquaquam dictis violentia Turni flectitur; exsuperat magis aegrescitque medendo«.

De Cicerone interprete Sophoclis.

Tandem accedo ad campos uberiores. Amplissimus exstat locus ex Sophoclis Trachiniis 1046 sqq. in Tuscul. II § 20 sqq. Toto autem hoc libro disputat philosophus de tolerando dolore, quem »sic definiunt, ut dicant eum asperum esse . . . . difficile perpessu« etc. Tus. II § 29 sq. = de fin. IV § 72 (cf. Tus. II 17 II 18). Atqui inducitur hoc loco Hercules, »qui tum dolore frangebatur, cum immortalitatem ipsa morte quaerebat« Tusc. II § 20. Itaque dum summos dolores nobis ante oculos ponit, eis verbis utitur interpres, quae et rei accommodata sunt et quasi sollemnia ac tralaticia in describendo dolore. Dicit enim »O multa dictu gravia perpessu aspera« Sophocleus autem Hercules non infit *ὦ πολλὰ . . . . καὶ δύσοιστα πήματα* — nam *δύσοιστα* fere essent, quae a Cicerone dicuntur »perpessu aspera« — sed »*ὦ πολλὰ δὴ καὶ θερμὰ καὶ λόγωι κακά*«. Statim igitur initio totius loci apparet, Ciceronem non esse fidum interpretem, sed liberum imitatorem, id quod confirmabitur, si alterum versum cum Sophocle contulerimus. Graecus enim poeta pergit »*χερσί καὶ νώτοισι μοχθήσας*«, Romanus »corpore atque animo pertuli«. Quae duo substantiva per gradum iunguntur. »Nam quo maior vis est animi quam corporis, hoc sunt graviora ea, quae concipiuntur animo, quam illa, quae corpore«. Philip. XI § 9. Ut autem »maiestatem adferat orationi ab ultimis et iam oblitteratis temporibus« (Quintil. I 6, 40) repetit verbum q. e. »exanclata« (cf. Quintil. l. l.) idque, ut videtur perpetuum in Herculis laboribus. Scripsit enim philosophus in Academ. II § 108 »credo Clitomacho ita scribenti, Herculi quendam laborem exanclatum a Carneade«. Non minus suis utitur pigmentis Cicero in versibus, qui sequntur. Etenim Sophocles dicit »*ἄκοιτις ἡ Διός*«, Cicero »Iunonis terror implacabilis«. Licet hic dubium sit, quo pertineat appositum, utrum ad nomen deae, an ad terrorem, id quidem certum est additum esse ab interprete, ne sit »nuda et quasi incompta oratio«. Quintil. VIII 6, 41. Adde quod concinnitati satisfacit orator, cum suum cuique nomini epithetum tribuit; ut enim Iuno »implacabilis«, ita Eurystheus »tristis« = *στυγνός*, Deianira »vaecors« est. Hoc autem appositum, quin multo gravius sit quam *δολῶπις*, non dubitamus

— significat scilicet »amenti corde« id, quod apparet ex Arat. 424 — »Ille feras vaecors amenti corde necabat«. Nec miramur talem amplificationem quoniam totus locus eiusmodi est, »per quem cum indignatione conquerimur, quod ab eis, a quibus minime conveniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus benigne fecerimus, quos adiutores fore putarimus« de invent. I § 109. Habemus igitur quasi quandam indignationem, ex qua »nascitur amplificatio«, quia »indignatio est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium concitetur« de invent. I § 100. Quare pergit imitator amplificationibus orationem extollere. »Omnia enim, quae mala putantur, sunt improvisa graviora« Tusc. III 30. Itaque addit interpres »inscium«. Nec solum auget, verum etiam intellegi vult dolo Herculem perire; respicit igitur hoc additamento ad id, quod est apud Sophoclem *δολῶπις*. Plane eodem spectat verbum q. e. »irretivit«, nisi quod aliud etiam accedit. Est enim *ἀμφίβληστρον* testibus Hesychio et Suida (I 298) i. q. *δίκτυον* i. e. »rete«. Verbo igitur idem exprimit Cicero, quod substantivo Sophocles. Quod autem interpres hoc versu omisit *ὑφαντόν*, id brevi post adiecit, ubi dicit »textili«, contra »me inscium« desumpsit ex v. 1057, ubi Sophocles »*ἀφράστωι τῆιδε χειρωθείς πέδηι*«. Iterum pro substantivo *πέδη* verbum substituit »illigatus peste«. Graeci ipsi similiter loquuntur, velut Aeschylus Prom. v. 579 *ἐνέζευξας ἐν πημοσύναις*«. Invicem substantivo »morsu« usus, respicit Cicero ad verbum *βέβρωκε*. Quae sequuntur *πλεύμονος ἀρτηρίας* non consentiunt cum Cicerone »pulmonum haurit **spiritus**« Videtur legisse ***πνεύμονας*** *ἀρτηρίας*; hoc si verum, vide ne *πλεύμονος* glossa sit genetivo *ἀρτηρίας* adscripta. Ut autem supra duo vocabula *ὑφαντόν* 1052 et *ἀφράστωι* 1057 (schol. *ἀπροσδοκήτωι*) apud Ciceronem locum mutavere, ita verborum ordinem immutatum animadvertas in his »haurit spiritus«. Obversatur enim animo verbum, quod sequitur *ἐκπέπωκεν*. Legitne Cicero scholium idem quod nos *ῥοφεῖ· ἐκπίνει*? Contra ei, quod statim sequitur »exsorbuit« apud Sophoclem non *ῥοφεῖ* respondet, sed *πέπωκεν* 1056. Vestis igitur »sanguinem exsorbuit«. Qua cum versione potes conferre compositam formam »*αἱματορρόφος*«, quae exstat apud Aeschylum Eumen. 194; denique *χλωρόν αἷμα* quod dicitur »decolor sanguis« eorum sententiam secutus est interpres, qui intellegi voluerunt non *νέον αἷμα* sed *νεκρόν* (cf. schol.). An hoc epitheto usus est, quod veneno periit Hercules? cf. ad Her. II § 44 »mortuum decoloratum fuisse constat, ergo veneno necatus est« (cf. ibid. § 8).

Ut iam horum versuum summam faciamus, nusquam verbum vertit ex verbo Cicero; imitator est, non interpres. Nec alia usus est his

versibus vertendi ratione, quam qua supra [1]) in Homero eum usum esse ostendimus. Scilicet tot versibus perlectis, quot facili opera memoria posset complecti, suis verbis Herculis dolorem descripsit unde factum, ut hic illic ordo verborum immutaretur. Dum autem imitatur, ad summa tendit fastigia »Sic corpus clade horribili absumptum [2]) extabuit«. Item fere apud Pacuvium Aeetes queritur »corpus macie extabuit« Tusc. III § 26. Horribili cladi bene opponuntur pericula, quae superarit Hercules adhuc sine clade victor. Crimen ut augeat Cicero et addit »horribili«, et tristissimo utitur vocabulo »clade«. Nec casu ista amplificatio effecta est. Vult enim Cicero tamquam orator ostendere »taetrum facinus, crudele, nefarium esse« (ad Her. II § 49), »non vulgare sed singulare esse maleficium, atque id a feris quoque hominibus et **a barbaris gentibus** et **immanibus** bestiis remotum esse« de invent I § 103. Itaque mox, ubi Herculis vita ante acta nobis tamquam ab oratore ob oculos ponitur, dicit »non Graia vis, non **barbara immanitas**«. Pergit amplificare rem in ipsa laborum memoria. Ut enim supra non contentus fuit ieiuno vocabulo *προύθηκεν* 1048, sed circumscripsit criminis augendi causa »nec Iuno, nec Eurystheus mihi tantum mali invexit«, ita hoc loco multo etiam ieiunius et exilius interpreti fuit »*οὐ ταὖτα ἔδρασέ* [3]) *πω*« 1061. Suis igitur coloribus utitur »hos non hostilis dextra . . . ictus corpori meo inflixit«. Ictus autem non accipiuntur nisi ab eo, qui cominus pugnat (pro Caecina § 43). Itaque propriam versionem eius q. e. *λόγχη πεδιάς* iure, ut puto, vitavit maluitque dicere »hostilis dextra«, idque eo aptius, quod Hercules »*οὐδ' ἦλθε λόγχης ἐγγύς*« Eur. Herc. Fur. 160. Quod autem dicit »moles Gigantum« non tam de numero (*στρατός* cf. Hor. II 19, 22 cohors Gigantum), quam de vastis corporibus cogitat, ut Pseudo-Senec. Herc. Oet. 1211 »vasta tumidi mole Gigantis« Centauri mentio quam sit apta bene exponit Nauckius not. ad v. 1059 »*θήρειος βία*« ubi id tantum desidero, Ciceronem etiam substantivum quod est apud Sophoclem »*Ἑλλὰς* v. 1060 pro adiectivo habuisse. Intellexit enim *οὔτε θήρειος βία οὐθ' Ἑλλάς* scil. *βία* = Graia vis, cui opponitur »barbara immanitas«; legitne Cicero scholium *ἄγλωσσος: βάρβαρος*? Quod denique addit saeva gens terris ultimis relegata respicit ad ea quae leguntur v. 1100 *ἐπ' ἐσχάτοις τόποις.* Magis magisque sua vela pandit orator; itaque nudum verbum *καθαίρων*, plane ut supra *προύθηκε, ἔδρασε* non vertit, sed valde amplificat, cum dicit »undique omnem ecferitatem expuli«. Ferarum igitur bestiarum victor nunc

---

1) cf. pag. 27, cf. pag. 36 n. 3.

2) De huius verbi usu Ciceroniano cf. Thielmann l. l. pag. 36.

3) cf. pag. 35.

feminae manu vincitur. Vim affert oratori, si quis in tali sententia accuratam desiderat versionem. »Nam cum causa ea inciderit, in qua vis eloquentiae possit expromi, tum se latius fundet orator, tum reget et flectet animos et sic afficiet, ut volet« orat. § 125. Licet autem dubitare, utrum scripserit Cicero »sed feminae vir . . .« an »sed feminea vir, feminea interimor manu«. Frustra enim anapaestos secundo versus loco ante caesuram positos apud Ciceronem quaesivi. Certe eiusdem notionis iteratio nil habet miri, id quod contra Baiterum dico. Immo suam habet et vim et rationem. »Vehementer enim auditorem commovet eiusdem redintegratio verbi et vulnus maius efficit, quasi aliquod telum saepius perveniat in eandem partem corporis« Auct. ad Her. IV § 38. Hercules superatur a femina. Quae rés excogitari potest aut gravior aut uberior? In tali sententia exprimenda vix curat Graeca verba interpres, id quod et ex hoc loco apparet et ex eis versibus, qui paulo post leguntur »Heu! Virginalem me ore ploratum edere, Quem vidit nemo ulli ingemiscentem malo«. Quid contra apud Sophoclem? *ὅστις ὥστε παρθένος βέβρυχα κλαίων, καὶ τόδ᾽ οὐδ᾽ ἄν εἷς ποτε τόνδε ἄνδρα φαίη πρόσθ᾽ ἰδεῖν* ***δεδρακότα.*** Totus hic postremus versus deest apud Ciceronem, neque ideo solum, quod verbum *δεδρακότα* nimis ieiunum videbatur interpreti, sed quod iustam verborum oppositionem, quae est inter »ploratum edere« et »ingemiscere« interposito versu turbari et quasi retardari noluit. Etenim »ingemiscere non numquam viro concessum est, idque raro« Tus. II 55, »quid autem est fletu muliebri viro turpius?« (ibid. § 57); nunquam igitur licet »virginalem edere ploratum«. Itaque ne sistat flumen orationis, statim eam notionem opponit, in qua summum est pondus — scilicet *ἀστένακτος εἱπόμην κακοῖς* »siccus aerumnas tuli« Pseud. Senec. Herc. Oet. 1268. Instar igitur omnium hic ut opinor locus est, si quis velit conferre oratorem cum poeta. Orator autem Cicero ipse docet »**afflicta** et prostrata **virtus** maxime luctuosa est« (de or. II § 211) nec quicquam esse »nequius aut turpius ecfeminato viro« Tuscul. III § 36. Ergo succumbens fortunae queritur Hercules »ecfeminata **virtus afflicta** occidit« = »*νῦν δ᾽ ἐκ τοιούτου θῆλυς ηὕρημαι τάλας*« 1075. —

Affectum una cum voce oratoris crescentem subaudire nobis videmur ex his »accede nate, adsiste, miserandum aspice« *προσελθὼν στῆθι πλησίον πατρός*. Ter igitur idem adhibet verbi genus, quod imperantis magis est quam precantis, scilicet ut filii animo motus misceantur et agitentur. Oratio ut tribus exaggeratur imperativis, ita tribus concinnatur appositis »miserandum«, »evisceratum«, »laceratum corpus«. Quorum primum refero ad Sophoclis versum 1079

»ἄθλιον δέμας«; scimus enim tot versibus perlustratis, solere interpretem praecipere, quae postea omittat[1]). Itaque huic versui ἰδού, θεᾶσθε, πάντες ἄθλιον δέμας«, respondet apud Ciceronem »Videte cuncti, tuque caelestum sator«. Plane eiusdem generis est versus »Iam cernam mene an illam potiorem putes« Soph.: »εἰ τοὐμὸν ἀλγεῖς μᾶλλον« κτλ. 1068. Versus clausula »potiorem putes« desumpta est ex Soph. v. 1065 »καὶ μὴ τὸ μητρὸς ὄνομα πρεσβεύσῃς πλέον«. Quin etiam allitterationem π . . . π imitatur Cicero: **p**otiorem **p**utes«. Quo autem pertinere putabimus »evisceratum«, »laceratum«? Nonne ad λωβητόν εἶδος v. 1069? Dubito num recte iudicaverint Nauckius et Dindorfius, qui adnotat »hunc versum aut non legit, aut consulto omisit Cicero«. Consulto omisit v. 1073, id quod vidimus, cur consulto omiserit v. 1069 equidem non video. An respexit Cicero ad versum septimum »morsu lacerat viscera«, quo substantivum »morsu« ad verbum q. e. βέβρωκε pertinere supra notavimus[2]). Eodem artificio utitur interpres hoc versu »nunc serpit ardor«. Obversatur enim animo ἔθαλψεν ex versu 1082, quod explicatur a scholiasta »ἐξεπύρωσεν« cf. Sen. Herc. Oet. 1278 »incaluit ardor«. Item versu antecedenti »dolorum anxiferi torquent vertices« substantivo q. e. »vertices« expressit verbum »ἤνθηκεν«· ἤκμασεν schol. 1089. Hic, ubi eiulat Hercules nusquam Cicero vertit nec verbum ex verbo nec versum ex versu. Nec miramur, quoniam scimus qua ratione vertendi usus sit. Perlegit totum locum suisque verbis versibusque ex memoria[3]) Herculis dolores descripsit imitator magis quam interpres. Imitator autem quam maxime esse voluit in enumeratione laborum inde a versu 1089—1100. Qui undecim versus apud Sophoclem uno verbo continentur ὑμεῖς . . . . . . βίᾳ κατειργάσασθε 1094. Habes igitur eam figuram, quam rhetores dicunt ἐπεζευγμένον »in qua unum ad verbum plures sententiae referuntur, quarum unaquaeque desideraret illud, si sola poneretur . . . medium quoque potest esse, quod et prioribus et sequentibus sufficiat«. Quintil. IX 3, 62. Longe aliter apud Ciceronem res se habet. Is enim disiunctionis figura utitur, quam dicunt διεζευγμένον. Adspice quanta sit ποικιλία:

»Vestrone pressu quondam Nemeaeus leo Frendens efflavit graviter extremum halitum Haec dextra . . . pacavit . . . haec adflixit . . . . . . haec abiecit . . . haec eduxit . . . . haec interemit . . .

Quae est igitur differentia? Sophocles enumerat, quid fecerit Hercules, Cicero describit tamquam pictor, quomodo fecerit. Ipsa igitur rerum discrimina ob oculos ponit, quid ut assequatur? Ut commoveat animos. De animis autem per visiones commovendis Quintilianus cum

---

1) cf. pag. 33. 2) cf. pag. 33. 3) cf. pag. 34.

alia docet, tum haec »nonne animo sanguis et pallor et gemitus, **extremus** denique **exspirantis hiatus** insidet? VI 2, 31. Agnoscas igitur oratorem Ciceronem in his »vestrone pressu quondam Nemeaeus leo frendens **efflavit** graviter **extremum halitum**«. Quasi oculis videre nobis videmur et leonem, et draconem »auriferam obtutu adservantem arborem« (cur »obtutu« addiderit appareat ex Festo pag. 67), et Erymanthiam vastificam beluam«. Epitheta adiecit Cicero, quia ut dixi quasi pictor est »Nam . . . permultum movet illustris explanatio rerumque, quasi gerantur, sub adspectum paene subiectio, quae et in exponenda re plurimum valet et ad illustrandum id, quod exponitur et ad amplificandum« de orat. III 202. Accedit aliud. Quid? Tot bene facta Herculis dum afferuntur et describuntur, nonne quasi laudatio fit laudatissimi viri? Nonne ipse Cicero Herculem facit exclamantem »nec quisquam e nostris spolia cepit laudibus«? Qualia autem facta habent uberrimam copiam ad laudandum? »Gratissima laus eorum factorum habetur, quae suscepta videntur a viris fortibus sine emolumento ac praemio, quae vero etiam cum labore et periculo ipsorum, haec habent uberrimam copiam ad laudandum, quod et dici ornatissime possunt et audiri facillime. Ea enim denique virtus esse videtur praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa aut periculosa« de or. II 346. Tota igitur materia ea fuit, in qua laxaret orator frenos eloquentiae, in qua suo uteretur penicillo, suis verbis, suo ingenio.

His singulis rebus pertractatis, restat, ut de toto loco aliquid addam. Neque enim solus Cicero imitatus est, sed Ovidius item et Seneca(?). Publica fuit materies, quae tamen privati iuris facta est, ut ab Ovidio ita a Cicerone. Ex illo unum mihi liceat proferre locum, ex quo appareat, quae ratio intercedat inter poetam tragicum et elegiacum. Apud Sophoclem v. 1102 legimus *κοὐδεὶς τροπαῖ᾽ ἔστησε τῶν ἐμῶν χερῶν*. Herculem de se ipso his verbis gloriantem tamquam mendacii coarguit uxor amenti caeca furore apud Ovidium

»Se quoque nympha tuis ornavit Iardanis armis,
Et tulit e capto nota tropaea viro«.
(Her. IX 104.)

In hac autem re turpissima, vinci scilicet virum a femina, poeta ille potissimum versatur. Omphale — sic facit Deianiram scribentem, — Omphale te vicit

»I nunc, tolle animos et fortia gesta recense,
Cum tu non esses, iure vir illa fuit«.

Vides quo furor egerit amantem.

Ut ad Ciceronem revertar, profitetur orator »Non mehercule

unquam apud iudices aut dolorem aut misericordiam, aut invidiam, aut odium dicendo excitare volui, quin ipse in commovendis iudicibus iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer« de or. II 189. Perfectus igitur orator cuiusvis causae argumento usque adeo commoveri debet animo, ut non alienam, sed tamquam suam rem agere videatur. Idem poetarum esse vult Horatius A. P. v. 103 »Si vis me flere dolendum est primum ipsi tibi«. Quibus autem temporibus vertit Cicero quos tractavimus versus? Tum, cum unius voluntate omnia tenerentur, cum defensionum laboribus senatoriisque muneribus vacuus esset ita, ut semper illud in ore haberet »mihi quidem *βεβίωται*« ad Att. XIV 21, 3. Quodsi Ciceronis Prometheus exclamat: »Sic me ipse viduus pestes excipio anxias« Tusc. II § 25 non tam Prometheus queritur, quam ipse Cicero, quem Servius Sulpicius celeberrima epistula (IV 5) consolatur »noli te oblivisci Ciceronem esse et eum, qui aliis consueris praecipere et dare consilium, neque imitare malos medicos qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt«[1]).

Ut Hercules, ut Prometheus ita Cicero de culmine deiectus, immo praecipitatus est. Itaque dum heroum casus luctusque sibi proponit, non tam alienarum personarum est actor, quam suae auctor. Vexatur tristitiae memoria, »recordationes autem quasi quodam morsu dolorem efficiunt« ad Att. XII 18. »O ante victrices manus« sic non clamat Hercules, sic queritur ipse Cicero, »illacrima **patris** pestibus« »gentes nostras flebunt miserias«, sic lamentatur ille, qui quondam ut pater[2]) patriae vivebat in civium oculis, cuius »casum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum non solum homines, sed tecta urbis ac templa lugerent« pro Sest. § 53. »Nec quisquam e nostris spolia cepit laudibus«, sic gloriatur ille, qui »demigrandum potius« inquit, »aliquo, quam habitandum in ea urbe, in qua tropaea de me videam constituta« pro domo § 100 (Soph. »*τροπαῖ᾽ ἔστησε τῶν ἐμῶν χερῶν*).

Haec siquidem recte a nobis disputata sunt, nescio quo pacto domestica potius, quam externa subaudire mihi videor ex his

»Corque meum penitus turgescit tristibus iris,
Cum decore atque omni me orbatum laude recordor«.

Sic enim Achilles apud Homerum I 646

1) cf. Aesch. Prom. v. 473
»πλανᾷ, κακὸς δ᾽ ἰατρὸς ὥς τις ἐς νόσον
πεσὼν ἀθυμεῖς καὶ σεαυτὸν οὐκ ἔχεις
εὑρεῖν ὁποίοις φαρμάκοις ἰάσιμος«.

2) cf. »me absentem ut patrem deplorandum putarat« pro Sest. § 121

»ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλωι, ὁππότ' ἐκείνων
μνήσομαι, ὥς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν
Ἀτρεΐδης, ὡς εἴ τιν ἀτίμητον μετανάστην«.

Patet fere novos esse Ciceronis versus propria vi oratoria exornatos. Octies enim repetita est littera aspera et canina r[1]), nec tantum littera, tota syllaba (c)or- inde ab initio sonat usque ad finem. Suae igitur calamitatis memor Cicero tristibus iris turgescit. Scimus enim quam saepe se orbum dixerit. Cf. ep. IV 13, 2sq. »in qua urbe modo gratia, auctoritate, gloria floruimus, in ea nunc quidem his omnibus caremus. Itaque orbus iis rebus omnibus, quibus et natura me et voluntas et consuetudo adsuefecerat, cum ceteris, ut quidem videor, tum mihi ipse displiceo«; cf. Divin. II § 7 pristinis orbati muneribus, haec studia renovare coepimus = de offic. II § 6.

Tertium hic affero Homeri locum a Cicerone translatum Tusc. III § 63 de Bellerophonte

»Qui miser in campis maerens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans« =
ἤ τοι ὁ καπ πεδίον τὸ Ἀλήιον οἶος ἀλᾶτο,
ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων« Z 201.

Hi quoque versus non tam in Bellerophontem, quam in ipsum Ciceronem redundant. Fuit enim Cicero in »campis Aleis« h. e. in Cilicia (Herodot VI, 95) pro consule, quod ei munus non attulerat voluntas, sed necessitas. »Lucem — sic scripsit ex provincia ep. V 15, 1 — lucem desidero«, ad Atticum autem »mihi solitudo et recessus provincia est« XII 26, 2. Vides quo iure dixerit »hominum vestigia vitans«. Perlustra versus, quos his Tusculanarum libris immiscuit Cicero, invenies eos ad unum fere omnes ita esse comparatos, ut dum aliorum exempla sibi proponit, suam, quantum fieri potest, minuat tristitiam. Vere profecto scripsit ad amicum »nihil de maerore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non legerim« XII 14, 3a. 45 »relaxor tamen ad omniaque nitor non ad animum, sed ad vultum ipsum, si queam, reficiendum«. Ergo consolatur se ipse, cum eorum casus meminit, qui simili in fortuna fuerant: »levat enim dolorem communis quasi legis et humanae condicionis recordatio« ep. VI 6, 12.

De Cicerone Euripidis interprete.

De Euripide breves erimus; sunt enim plerique loci ita comparati, ut ad artem interpretis cognoscendam haud multum valeant. Tria quasi

1) cf. Marx Lucil. II pag. 3.

genera discerno: exstant primum acutae sententiolae, quibus oratio tamquam luminibus ornari et illustrari soleat. Huc referas »Suavis laborum praeteritorum memoria« De Fin. II § 105 = »ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων«, vel »bene qui coniciet vatem hunc perhibebo optimum« = »μάντις γ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς« de div. II § 12, vel »iuravi lingua, mentem iniuratam gero« = »γλῶσσ' ὀμώμοχ' ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος«. Patet interpretem id tantum spectare, ut missis ambagibus coloribusve apte loquatur. Popularia enim sunt ista, »popularibus autem verbis est agendum et usitatis, cum loquimur de opinione populari« de off. II § 35 et »exornatio praetermittenda est, si parum locuples ad amplificandum et exornandum res videtur esse« ad Her. II 30.

Ab hoc genere differt, quod pertinet ad intimam philosophiam. Huc spectant de nat. deor. II § 65.

»Vides sublime fusum, immoderatum aethera,
»Qui terram tenero circumiectu amplectitur?
»Hunc summum habeto divum, hunc perhibeto Iovem«.
= ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρονα αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχοντ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόν δ' ἡγοῦ θεόν.

Mira profecto atque hucusque nobis fere inaudita fide vertit Cicero, quid aliud spectans, nisi ut plane et perspicue loquatur? Dicuntur ista ieiunius — cur? Iterum ipse respondeat Cicero »sunt enim quasi prima elementa naturae, quibus ubertas orationis adhiberi vix potest. Istius autem modi res dicere ornate velle puerile est, plane autem et perspicue expedire posse docti et intellegentis viri« De Fin. III 19. Ibidem exstant haec Ciceronis verba »verumtamen cum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt: ita fit cum gravior tum etiam splendidior oratio«. Habes notam tertio generi accomodatam, ei scilicet, in quo ornata interpretis est oratio. Cuius generis sunt versus inde a Chrysippo saepe excitati in scriptis omnibus de dolore, quos Cicero invenit in auctore (Posidonio?) quem secutus est.

»Nam qui haec audita a docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias:
Aut mortem acerbam aut exili maestam fugam
Aut semper aliquam molem[1]) meditabar mali,
Ut si qua invecta diritas casu foret
Ne me imparatum cura laceraret repens«.

Tusc. III § 29.

---

1) cf. Catil. III 17 »molem mali« Munro ad Lucr. III 1056.

Ipsae profecto res verba rapiunt; fuit enim olim exsul, qui haec vertit:

»Ἐγὼ δὲ ταῦτα παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν
εἰς φροντίδας νοῦν συμφορᾶς τ' ἐβαλλόμην
φυγάς τ' ἐμαυτῶι προστιθεὶς πάτρας ἐμῆς
θανάτους τ' ἀώρους καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς
ἵν' εἴ τι πάσχοιμ' ὧν ἐδόξαζον φρενί
μή μοι νεῶρες προσπεσὸν μᾶλλον δάκοι«.

Nauck pag. 672.

Ornat imitator orationem allitteratione ea, quae tritissima est antiquis poetis[1]) et Ciceroni ab illis accepta (cf. Arat. 37, 52, 341, 356, 462, 428 et carm. de consul. »Vocibus Allobrogum **p**atribus **p**opuloque **p**atebat«). Ornat etiam ut solet epithetis »mortem acerbam«, »exsili maestam fugam«[2]). Quorum illud ex ipsa philosophica ratione videtur profectum esse. Fuerunt enim philosophi (cf. Tus. III 28) qui docerent, non ex omni malo aegritudinem nasci, sed ex insperato et necopinato. Cui igitur homini non semper sunt omnia humana cogitata, ei necesse est, mala, si quae accidant, quam maxime fore acerba cf. Tus. III § 30 »iis haec esse acerba, quibus non fuerint cogitata«. Alterum autem epithetum concinnitatis causa adiectum est, ut »morti acerbae« responderet »exsili maesta fuga«. Quoniam autem agitur de »praemeditatione futurorum malorum« (§ 29 in.), initio alterius versus addit »futuras«; itemque ex ipsa disputatione Ciceroni se obtulit verbum »meditabar« v. 4. Animadvertas autem Ciceronis consuetudinem pluribus nobis iamiam exemplis illustratam. Etenim quod dicit »mecum commentabar« non tam respicit ad verba »*νοῦν εἰς φροντίδας ἐβαλλόμην*«, quam ad *ἐδόξαζον φρενί*, neque aliter verba »ut si qua invecta[3]) diritas casu foret« pertinent magis ad *μοί προσπεσόν* (casu!), quam ad *εἴ τι πάσχοιμι*. Denique postremo versu »ne me cura laceraret«, patet »curae« vocem pertinere ad versum alterum »*φροντίδας*«. Bene autem addit »repens«. Omnia enim videntur subita maiora (Tus. III § 52). Quod autem subito accidit, id ante provisum non est; et »quod ante provisum non est, id ferire vehementius« constat (ibid. § 52). Sic enim Chrysippo est visum, sic Cyrenaicis, sic Euripidi, cum dicit »*μή μοι νεῶρες προσπεσόν μᾶλλον δάκοι*« *νεῶρες* igitur idem significat, quod *ἀπροσδόκητον*. Itaque nullo iure

---

1) cf. Wölfflin »Die Allitteration der II. Vershälfte« Arch. XIV 319.
2) cf. Enni v. ap. Cic. Tus. III 44 »exsili fuga«.
3) cf. Tus. III § 26 »mala . . . quae tibi casus invexerat«
„ II § 20 »nec tantum invexit tristis Eurystheus mali«
„ IV § 63 »nec ira caelitum invectum malum«.

mutabant quidam viri docti per coniecturam »repens« in »recens«. Idem quod Euripides voce *νεῶρες*, exprimit Cicero cum dicit »imparatum«. Cura denique quod »lacerare« dicitur, id quoque verbum manavit ex ipsa disputatione. Paulo enim antea legimus »aegritudo . . . . . lacerat, exest animum« § 27. Patet — si respicis verborum delectum — singula quaeque accommodata esse ad huius disputationis materiam, nec tantum accommodata, verum ex ipsa disputatione Ciceroni quasi ultro oblata esse. Quae res aut valde fallor, aut aliquid docet. Exstant enim versus Homerici Tusc. l. III § 65.

»Namque nimis multos atque omni luce cadentes
Cernimus, ut nemo possit maerore vacare.
Quo magis est aequum tumulis mandare peremptos
Firmo animo et luctum lacrimis finire diurnis« =
Λίην γὰρ πολλοὶ καὶ ἐπήτριμοι ἤματα πάντα
πίπτουσιν· πότε κέν τις ἀναπνεύσειε πόνοιο;
ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν καταθαπτέμεν ὅς κε θάνῃσιν,
νηλέα θυμὸν ἔχοντας, ἐπ' ἤματι δακρύσαντας« ***T*** 226.

Apud Homerum *πόνος* est labor belli. Quid tandem huius loci commune est cum philosophia morali? Tamen ita affertur, quasi ad quaestionem de maerore minuendo pertineat; accommodatur autem non a Cicerone, sed a Stoico auctore Ciceronis, — constat enim inter omnes ad quas ineptias Stoici in hac re processerint. — Itaque in versione eo vocabulo utitur interpres (»maerore«) [1], quod disputationis conexus postulat, natura huius loci ratioque non item. Nec potuit aliter interpres, quoniam dixerat »apud Homerum cottidianae neces interitusque multorum **sedationem maerendi** adferunt«. Talem indiligentiam condonabimus scriptori, non nescii »minore labore« factos esse libros philosophicos. Non desunt, quae addantur, velut affertur a Cicerone Tus. I § 117 Solonis distichum:

»Mors mea ne careat lacrimis, linquamus amicis
Maerorem, ut celebrent funera cum gemitu«
Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι ἀλλὰ φίλοισιν
καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς.

Qui versus Ennio ita opponuntur, quasi Solon queratur de morte tamquam de malo. Revera amicos sibi exoptat, quibus etiam post mortem carus sit. Sic recte eiusdem distichi memor est ipse Cicero in Catone § 73.

Unus mihi restat locus Euripideus, de quo pauca adnotem Tus. l. III § 67.

---

1) Tolkien »Homer und die röm. Poesie« pag. 91.

»Si mihi nunc tristis primum inluxisset dies
»Nec tam aerumnoso navigavissem salo,
»Esset dolendi causa, ut iniecto eculei
»Freno repente tactu exagitantur novo;
»Sed iam subactus miseriis obtorpui«.
*Εἰ μὲν τόδ᾽ ἦμαρ πρῶτον ἦν κακουμένῳ
καὶ μὴ μακρὰν δὴ διὰ πόνων ἐναυστόλουν
εἰκός σφαδάιζειν ἦν ἂν ὡς νεόζυγα
πῶλον χαλινὸν ἀρτίως δεδεγμένον
νῦν δὲ ἀμβλύς εἰμι καὶ κατηρτυκὼς κακῶν«.*
Nauck pag. 628.

In Stephani Thesauro s. v. *σφαδάιζειν* exstat nota »vertit Cicero »tactu novo exagitari«. Hoc statim moneo »tactu novo« nihil pertinere ad versionem. Sed accuratius videamus, quae res sit. Graeca verba sic intellego *εἰκός ἂν ἦν σφαδάιζειν, ὡς εἰκός ἐστι σφαδάιζειν πῶλον κτλ.* Patet duas notiones inesse verbo *σφαδάιζειν*, alteram propriam, alteram tralatam. Illam expressit Cicero verbo »exagitari«. Recte, ut apparet ex scholio ad Soph. Ai. 833 *σφαδάιζειν δ᾽ ἔλεγον τὸ σπᾶσθαι καὶ σφακελίζειν*; et ex Hesychio s. v. *σφακελίζει· κινεῖ δεινῶς.* Tralatam autem significationem ut exprimeret Cicero addidit verbum »dolendi«. Optime, teste Hesychio s. v. *σφαδάιζει· χαλεπῶς φέρει· δυσφορεῖ.* Addam huiusmodi alterum exemplum ex Sophocle. Hercules gloriatur »*ἄλλων τε μόχθων μυρίων ἐγευσάμην κοὐδείς τροπαῖ᾽ ἔστησε τῶν ἐμῶν χερῶν.* Hic tralate dixit poeta *χερῶν* pro eo, quod manuum viribus paratur. Cicero et propriam et tralatam significationem expressit. Nam dicit

»Multa alia victrix nostra lustravit manus
»Nec quisquam e nostris spoliam cepit laudibus«.

De Euripide haec hactenus. Vidimus, ut summam faciam, aliter Ciceronem transtulisse Euripidem ac Sophoclem, aliter Sophoclem atque Aeschylum. Sciebat enim tres illos poetas in genere scribendi esse inter se dissimiles cf. de oratore III 27 »Atque id primum in poetis cerni licet, quam sint inter sese .... dissimiles .... Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur«.

Scio quaestionem de Cicerone interprete Graecorum minime esse absolutam. Multa enim restant, quae a nobis et alio loco et alia occasione proferentur. Ostendimus, quoad huius opusculi esse poterat, et quid potissimum verterit interpres — orationes scilicet —, et quibus auxiliis usus sit — scholiis scilicet — et cur verterit et quomodo. De arte autem nobis disputantibus, illud semper in animo esse debebat,

quod ipse scripsit artifex »Non omnia, quaecumque loquimur mihi ad artem et ad praecepta videntur esse revocanda« de or. II § 44, praecipue autem illud »Nolo omnia, quae cadunt aliquando in oratorem, quamvis exigua sint, ea sic tractari, quasi nihil possit dici sine praeceptis suis« ibid. § 47. Illud vero tenebimus »artem non esse, nisi quae — non ex una aut duabus — sed ex multis animi perceptionibus constat«. Acad. II 22. Quodsi quid artis vidisse nobis contigit, aperuisse putemus venas ingeni reconditas.

»Temptavit quoque rem si digne vertere posset
»Et placuit sibi natura sublimis et acer«.

Prosequamur his versibus vatis Horati memoriam nostri

Marci, Tulli Ciceronis.

Index locorum memorabilium.

Vita.

Natus sum Carolus Atzert patre Iosefo matre Flora e gente Rüttger a. d. X. Kal. April. a. 1883 Frankofurti a. M. Fidem confiteor catholicam. Regium Gymnasium Norohusiae frequentavi, unde vere a. 1902 cum parentibus Gottingam migravi, ut totum me darem litterarum rerumque antiquarum studiis. Georgiae Augustae per decem semestria me civem docuerunt cum alii viri docti tum philologi et historici hi: F. Leo, Ed. Schwartz, Leo Meyer, Wackernagel, Viertel, Busolt, Brandi, Lehmann. Seminarii philologorum per quattuor semestria sodalis fui, quorum per duo senior. Cum omnibus viris doctis debitas habeo gratias, tum Leoni inprimis et Viertelio. Semper enim meminisse iuvabit, quod hic primus animum meum induxit ad Ciceronem, unde factum, ut magis magisque adamarem summum Romanorum oratorem; ille autem studiorum meorum patronus per decem semestria, neque huic commentationi favere desiit, neque unquam consulenti defuit consilio, opera, labore.